756175

Petrie I. 599

ELEMENTA

JURIS CRIMINALIS

HUNGARICI.

LEUTSCHOVIAE,
Typis Joannis Werthmüller R. privil. Typogr.
1819.

MSZMP KÖNYVTÁRI KÖZPONTI
Nem adható el!

ELEMENTA

JURIS CRIMINALIS

HUNGARICI

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

INTRODUCTIO.

CAPUT I.

DE JURE CRIMINALI IN GENERE.

§ 1. *Jus Criminale quid?*

Jus Criminale sensu latissimo, est complexus Principiorum, quae in puniendis Delictis observanda sunt. Sensu tamen strictiori, et in Hungaria usu recepto, Delicta nonnisi Criminalia ad sphaeram Juris Criminalis pertinent; Delictis civilibus, tam privatis, quam publico-politicis, ad Jus civile privatum relegatis.

§ 2. *Delictum publicum et privatum.*

Quod ut intelligatur, observandum: Delicta alia privata esse, alia publica; et haec vicissim vel civilia, (publico-politica,) vel criminalia.

Quamvis enim omne Delictum, pro libera et externa violatione Legis poenalis humanae acceptum, pactum sociale laedat, cujus sanctimoniam conservare, omnium Civium, totiusque adeo Reipublicae interest, adeoque hoc sensu omne Delictum sit publicum: pro diversitate tamen influxus, quem diversa Jura in felicitatem Civium, salutem-

que Reipublicae exerunt, Delicta quaedam sunt talia, ut si privatus ille, quem Delinquens laesit, eidem laesionem hanc condonare, vel cum illo eatenus accordare velit, Respublica Delictum, citra metum gravioris periculi in totam Societatem redundaturi dissimulare possit; alia e converso Delicta tanti sunt momenti, ut etiamsi laesus laedenti omnem pœnam condonaret, Delictumque taliter privato vindice careret, ipsa tamen Civitas, ob vilipensam pactorum suorum socialium sanctimoniam evigilare, et per pœnam Delinquenti irrogandam, talem pro futuro praecavere debeat. Prioris Exemplum esto simplex Dehonestatio; posterioris Veneficium, vel Crimen Incendii.

Et hic est unicus verus Character distinctivus, quo Delicta privata a publicis differunt, quod nimirum in illis Transactio inter laedentem et laesum pœnam tollat, in his non item. Prout autem pro diversitate Regiminis formae, Religionis, Morum, Educationis, Characteris nationalis &c. variat valor Jurium in opinione hominum consistens; ita nemo mirabitur, unum idemque Delictum per unum Legislatorem ad Classem publicorum, per alium vicissim ad privatorum relatum fuisse. Sic Furtum Jure Romano fuit Delictum privatum, apud modernas vero Europae Gentes est publicum.

§ 3. *Delictum civile et criminale.*

Quidnam vero inter Delictum civile et criminale discriminis intercedat, id non tam facile est expedire. Qui diceret, civile De-

lictum illud esse, quod civili; criminale, quod criminali Actione vindicatur, explicaret nihil. Nec hoc dici potest, quod Delictum criminale pœnis corporis afflictivis, vel infamantibus; civile e converso mulctis pecuniariis castigetur: nam videmus, etiam Delictis non civilibus solum, sed plane privatis, e. gr. Colonis pro labore Dominali venire negligentibus, vel testificari nolentibus, 81. 1563. pœnas corporales constitutas esse, criminalibus e contra Delictis, ipsisque adeo homicidiis, ubi Circumstantiae alleviantes adsunt, mulctas pecuniarias dictari. De his igitur rebus meditanti, nullum magis adaequatum criterium occurrit, quam quod Delictum criminale capturam Delinquentis aestimatione nostra ignobilis ante adhuc convictionem post se trahat, civile vero non.

Si jam de specifico quopiam Delicto quaeratur, num civile sit, vel criminale? responsum non alibi, quam in Legibus, et consvetudine quaerendum. Ex his fontibus discimus:

1. Delicta privata, qua talia, omnia civilia esse;

2. Dari tamen non pauca Delicta, quae ad utramque classem simul pertinent, adeoque etiam duplicem Actionem post se trahunt, quarum neutra tollit aliam, sed etiamsi una evanescat, alteram salvam relinquit. Ita Nobilem vulnerans, incurrit Actum majoris potentiae, simul tamen etiam Fiscalem Actionem. 81: 1647; 85: 1655.

3. Omne Criminale Delictum, qua tale, esse publicum;

4. Sed non omne publicum Delictum esse Criminale. Delicta, quae publica quidem, non tamen criminalia sunt, vocantur publico-politica: tale est Pravitas usuraria.

§ 4. *Summum Principium Juris Criminalis.*

Legum et Judiciorum Criminalium scopus est, impedire Delicta per pœnas Delinquentibus irrogatas. Ideo Legislator et Judex Criminalis intenti esse debent:

1. Ut nullus veri nominis Delinquens impunis maneat;

2. Ut nullus innocens puniatur. — Ex his duabus formulis resultat, immo cum iis identica est:

3. Ut pœna nec justo lenior, nec justo gravior sit: in quantum enim pœna lenior esset delicto, delinquens maneret impunis; in quantum autem esset gravior, in tantum Innocens puniretur.

§ 5. *Partes Juris Criminalis.*

Ad assequendum triplicem hunc scopum, duo requiruntur, quae totidem Partes Juris Criminalis constituunt:

1. Recta inter Delicta, eorumque pœnas correlatio;

2. Bona Procedura Criminalis.

§ 6. *Dignitas et necessitas Juris Criminalis.*

Si finis societatum civilium est securitas seu, quod ad idem redit, maxima possibilis libertas Civium: Legum, et Judiciorum Criminalium Coordinationem ad finem hunc aut

obtinendum, aut intervertendum plurimum conferre, ſua quisque ſponte intelligit. Si enim Procedura Criminalis vitiosa, Delinquentem impune elabi patiatur, aut pœnae nimium leves pro repagulo malorum non ſufficiant: boni Cives, a laesionibus malorum ſecuri non erunt. Contra, si procedura talis sit, ut penes eam, etiam innocens condemnari poſsit, vel gravitas pœnarum mensuram delictorum excidat: tum Civium libertati et ſecuritati, non quidem per audaciam privatorum, ſed per ipſorum Magistratuum arbitrium et oppreſsionem, multo gravius adhuc periculum inferetur. Utrumque igitur Scopulum evitare, in bene ordinata Civitate quam maxime neceſſarium est.

Quod autem Juris Criminalis Hungarici cognitio utilis et neceſſaria sit pro omni, qui in Hungaria vivit, ut ab eo, quod Leges vetant, cavere, quodsi vero innocens ſuspicioni involvatur, ſemet defendere diſcat; ac praeferenter pro illis, qui ex constitutione Regni in potestate legislativa partem habent, et ad Munera Advocatorum, ac Judicum adſpirare poſſunt, vel monere ſupervacaneum est.

CAPUT II.

DE FONTIBUS JURIS CRIMINALIS HUNGARICI.

§ 7. — 1. *Jus Criminale universale.*

Jus Criminale universale vocare poſſumus Complexum ſyſtematicum illorum Principiorum, quae ex Jure naturae, Pſychologia, Logica, et Scientiis politicis deſumta, Legislatori in ferendis Legibus pœnalibus, Judici vero in detegendis et puniendis delinquentibus, tunc etiam Cynosurae instar eſſe deberent, si in statu publico nullae adhuc leges Criminales existerent. Atque ſcientiam hanc, quae omnium Nationum Juri Criminali positivo pro basi eſſe debet, non inter Subsidia, ſed inter ipſos Fontes Juris Criminalis Hungarici, sine quibus id in formam ſcientiae construi nec poſsit, numeramus; nam:

1. Non est diſsimulandum, Leges Criminales positivas tam paucas atque mancas exstare, ut multum absit, quin omnes Delictorum ſpecies, aut pro omni practice emergente casu, ſufficientem pro Judice inviationem contineant.

2. Longe plurimis Delictis Leges nostrae dictant pœnam arbitrariam, et in illis, quae determinatam pœnam in lege constitutám habent, pœna haec ad maximum duntaxat Delicti gradum applicabilis est; in reliquis casibus, mensura pœnae ex principiis

unice Juris Criminalis universalis desummi potest.

Exemplo utriusque praeattactae observationis esto art. 12: 1723. qui §-pho 5. sic habet:

„Si qui demum praeter suprascriptos casus, adhuc alii notorii dicendi essent, tales pro ratione facti, ad pœnam delicto conformem, pro reductis declarantur."

Neque vero id ita factum fuisse, mirari debemus. Systema Legum, quod omnes possibiles delictorum casus, omnesque infinitos doli et culpae gradus determinantes circumstantias complecteretur, hucdum ad pia philosophorum desideria pertinet; ad effectum deduci tentatum, necessarias, a quibus nullum inventum humanum immune est, pandet imperfectiones. Judicis vero est, Principia philosophica Juris, solerter scrutari, et casibus obviis applicare.

§ 8. — 2. *Leges Regni.*

Leges Regni, quarum nomine non solos articulos Diaetales, verum etiam Tripartitum Verböczianum, longa legislativi Corporis approbatione canonisatum, complectimur, praecipuum omnis Juris hungarici, ac etiam Criminalis fontem constituunt. Quidnam ad valorem illis conciliandum requiratur, quaenam item in illis explicandis regulae observandae sint? enodandum Juri civili relinquimus; hic sequentia solum meminisse juvabit:

1. Leges Criminales sunt strictissimae interpretationis. — Angli, Natio Europae

libertatis suae studiosissima, regulam hanc sancte adeo observant, ut hominem, qui tres uxores simul habuit, a pœna legis ideo absolutum fuisse memoriae commendatum sit, quod Lex de illis, qui duas, non vero tres uxores habent, loquatur. Ridiculam hanc, et saepe illudendae Justitiae occasionem praeburam scrupulositatem, in Hungaria quidem non affectamus; attamen nunquam obliviscendum est, quod illi, qui in Legem proprie sumtam non peccavit, plenum rigorem Legis applicare cautum sit.

2. Leges tantum futura ligant, non praeterita 2-dae 2; Math. 6:70. Actus enim ante Legem commissus, non potest dici in obversum Legis commissus. Hinc est, quod si post commissum delictum, ante tamen latam Sententiam, pœna Delicti per neoconditam Legem exasperetur, non possit delicto illi ante Legem commisso haec exasperata, sed debeat antiqua lenior pœna dictari; sed e converso, si Lex pœnam mitigavit, tunc delicto, licet ante legem commisso, non amplius antiqua asperior, sed nova mitigata, utpote per Legislatorem jam pro sufficienti declarata pœna, dictari debet.

3. Leges pœnales, relate ad Incolas Regni quidem statim post publicationem, relate vero ad extraneos, post publicationem ad Regnum venientes, nonnisi post tres menses, attamen a publicatione Legis, nor. vero ab adventu Extranei in Regnum computandos, vim obligativam sortiuntur. 2-dæ. 5.

§ 9. — 3. *Consvetudo et Decisiones Curiales.*

Omnes Nationes, antequam Leges scriptas habuissent, Consvetudinibus regebantur: et cum in Hungaria systematico Codice Criminali careamus, longe plurima, praesertim Proceduram concernentia, ex Consvetudine depromi debent, quae proinde in Criminalibus, praesertim ubi favor Delinquentis subversatur, haud temere negligenda est.

Ad Consvetudinem referimus etiam Decisiones Curiales, utpote nihil aliud, quam enunciationem Consvetudinis per E. Curiam Regiam in judicando observari solitae continentes: harum tamen in materia Criminali paucae exstant.

§ 10. — 4. *Privilegia.*

Duplicis imprimis generis Privilegia, in Jure Criminali merentur attentionem: utpote Privilegium Juris Gladii, et Juris Statarii.

Jus Gladii est Jus, Criminales causas, inclusis etiam capitalibus, judicandi, personae privatae, physicae, vel morali, ex. gr. Communitati ignobili, competens. Illae Jurisdictiones, quibus ex constitutione Regni Jus hoc competit, ut sunt Comitatus, non dicuntur habere Jus Gladii, neque enim Jurisdictionem Criminalem ob qualemcunque abusum amittere possunt, verum tantum Magistratuales abutentes amissione officiorum puniuntur. Ulad. 2: 19; 13: 1625; 38: 1655;

16: 1659. E contra, Liberae Regiaeque Civitates, Magnates, vel Nobiles, ac denique communitates ignobiles, Jus Gladii ex ſpeciali Privilegio habentes, si illo dolose abutantur, id est, vel manifeste innocentem condemnent, vel delinquentem dimittant, Actione Fisci Regii illud amittunt. 12: 2; 38: 1655; 48: 1715. praeterea ſalvam eſſe Actionem damni, illius, quem Delinquens laesit, contra dimittentem, ex Jure civili notum est. Math. 6: 38; 48: 1715. Qui vero Jure Gladii caret, et tamen interceptos Delinquentes competenti Jurisdictioni resignare non vult, Actione Fisci Magistratualis non amplius in tribus Marcis tit. 32: 3; attactis, ſed in 500 florenis reſpectu singulorum juxta art. 16: 1659. convincitur. Decisio XII. pag. 187. Jus Gladii Privatorum ad Crimen laesae Majestatis et Notae Infidelitatis non extendi, inde apparet, quod non poſsint Privati plus Juris habere, quam ipsi Comitatus.

Privilegium Juris Statarii, post art. 43: 1791. quo omnes Sententiae capitales appellari praecipiuntur, primum Comitatui Borsodiensi, expost autem pluribus etiam aliis pro indeterminato tempore conceſſum, tribuit jus, Obſeſſores viarum in flagranti vel in continua perſecutione interceptos, cum certis in ipſo Privilegio praeſcriptis formalitatibus, ad patibulum condemnandi, Sententiamque intra 24 horas, adeoque praeſciſſa Appellata, Executioni demandandi. Plura de hoc Judicio videantur §-pho 103.

An vero terribile hoc Privilegium, utut ad refroenandam praedonum audaciam quandoque neceſſarium eſſe poſsit, cum fundamentalibus Regni Legibus, ac ipſo art. 43: 1791. componi poſsit, praeſertim si ad Nobiles extendatur, quod effective jam factum fuiſſe dicitur, examinari meretur. Sufficit, quod complures Comitatus illud non ſolum promte acceptaverint, ſed etiam ultro expetierint, actuque exerceant.

§ 11. — 5. *Praxis Criminalis.*

Praxis Criminalis, Corpori Juris nostri adjecta, anno 1656. per Ferdinandum III. pro Archiducatu Austriae edita, ſucceſsive etiam in tribunalibus Hungariae invaleſcere cœpit, et quamvis auctoritate Legis apud nos careat, multaque etiam obſoleta, de Tortura &c. contineat, per Advocatos tamen citari, et per Judices consuli ſolet, praeferenter in eo, quod Parte II. cunctas Delictorum Criminalium ſpecies recenſens, in casibus, ubi ob defectum Legis dubium est, num Delictum aliquod pro Criminali habendum sit, non omnino contemnendam inviationem dare poſsit.

§ 12. — 6. *Resolutiones Regiae.*

Cum Jus Delinquentes aggratiandi Senſu Sigism. 2: 5; 48: 1715. ab antiquiſsimis temporibus sit Regiae Majestatis Attributum; cum praeterea ex Constitutione Regni, executiva potestas, cum hacque conjunctum jus, ea, quae ad debitam Justitiae administrationem pertinent, in ſensu Legum ordinandi,

eidem Regiae Majestati competat, Resolutiones quoque Regias in objectis Criminalibus emanatas, ad fontes Juris Criminalis Hungarici merito referimus.

CAPUT III.

DE SUBSIDIIS JURIS CRIMINALIS IN GENERE, ET HUNGARICI IN SPECIE.

§ 13. *Subsidia Juris Criminalis Hungarici duplicis generis.*

Ea quidem est omnium scientiarum, quas Ratio humana emetiri potest, inter se connexio, ut quaevis illorum quodammodo pro Subsidio omnium reliquorum haberi possit: strictiori tamen sensu illas tantum disciplinas Juris Criminalis Hungarici subsidiarias nominamus, sine quarum cognitione illud, aut debite intelligi, aut rite applicari non possit. Quaedam illarum sunt Juri Criminali Hungarico cum Jure Criminali omnium aliarum Nationum communes, ut Logica, Psychologia, &c. quaedam vero hungarico propriae, ut Jus publicum et civile Hungariae, et Historia Regni.

§ 14. — 1. *Logica.*

In nullo Scientiarum genere sperare potest aliquos progressus, qui Logices est ignarus: qualiter ergo Judex vel Advocatus Criminalis, cujus totum quantum officium quodammodo circa detegendam veritatem ver-

fatur, posset cognitione Logices carere, quae regulas detegendae veritatis, examinandae fidedignitatis Testium, ponderandorum verisimilitudinis graduum &c. suppeditat?

§ 15. — 2. *Psychologia.*

Detecta realitate Delicti, momentosissima surgit quaestio, quidnam delinquentem ad illud patrandum permoverit? Ipsa nimirum essentia Delicti, imputationis gradus, et quantitas pœnae, a libertate Delinquentis, et fortitudine motivorum, quae per pœnam superanda sunt, dependet. Num proinde libertas in Delinquente adfuerit, et in quo gradu adfuerit, non aliunde, quam ex accurata cognitione animi humani, metiri Judex poterit.

§ 16. — 3. *Ethica, et Jus naturae.*

Quamvis Judici Criminali in Sphaeram disciplinae moralis evagari, semetque in arbitrum conscientiarum transformare cautum sit: sunt tamen casus, in quibus principia Ethices, in gradu Delictorum determinando, insignem affundant lucem De Jure naturae autem prorsus nullum est dubium, quin in discussione quaestionis, num aliqua Actio pro veri nominis delicto habenda sit, vel minus? principaliter sit consulendum; actio enim, quae nullius vera Jura laedit, Delictum nominari, et objectum pœnae constituere nequit.

§ 17. — 4. *Scientiae politicae.*

Scientiae politicae, quatenus circa internam Status publici Coordinationem ver-

ſantur, nihil aliud fere ſunt, quam complexus Principiorum, quae in ferendis Legibus obſervari debent, adeoque etiam Scientiam Legislationis Criminalis in ſe complectuntur. Prout autem Executori Legis ſumme neceſſarium est ſcire, quibus motivis Legislator, ad sic vel aliter ferendam Legem sit permotus: ita is demum pro Juris Criminalis perito reputandus erit, qui rationes Legum sibi perſpectas habuerit, ita, ut simul bonus Legislator eſſe poſsit.

§ 18. — 5. *Medicina forensis.*

Plurima fere, eaque longe maxima Delicta, circa corpus humanum committuntur, ut homicidia, intoxicationes, abortus procurationes &c. Horum delictorum qualitas et realitas, haud raro non alias, quam ope Scientiarum medicarum investigari potest, quae ad Usum judicialem applicatae, Medicinam forenſem constituunt. Quamvis autem in hujusmodi casibus opera illorum, qui Artis medicae ex profeſſo gnari ſunt, adhiberi consveverit, maximum tamen uſum Judex capiet, si ipſe etiam Medicinae forensis haud ignarus fuerit.

§ 19. — 6. *Jus Criminale aliarum Gentium.*

Instituta aliarum Gentium Juris perito Hungaro non quidem pro fonte, cum vi obligativa apud nos careant, ſed tamen pro Subsidio deſervire poſſunt et debent, ut ea, quae apud exteros egregie constituta repererit, in quantum Leges nostrae patiuntur, imitari, errores vero illorum vitare diſcat. Is vero,

qui ad Legislationem Criminalem influxum habet, aliarum Gentium Statuta sibi plane perspecta reddat oportet.

Quod antiquas Nationes attinet, omnem ante reliquas attentionem meretur Jus Mosaicum, quod doctissimus Michaëlis peculiari opere illustravit, quod tamen quivis ex ipsis fontibus inter sacros Judaeorum et Christianorum Libros relatis, haurire poterit.

Respublicae Graecae, ac praeferenter Atheniensis, singularia nobis reliquerunt sapientiae in hoc quoque genere specimina. Ita etiam Jus Romanum, quod omnium fere Europae Nationum Legibus pro fonte deservivit, nullus seu civilis, seu criminalis Jurisprudentiae studiosus negligat.

Inter modernas vero Europae Nationes maximam attentionem merentur Angli, quorum statuta, prout infra passim videbimus, ab omnium reliquarum Gentium more, essentialiter discrepant, et in multis magnopere merentur imitationem.

§ 20. — 7. Jus publicum et civile Hungariae.

Accedimus nunc ad Subsidia Juri Criminali Hungarico propria, inter quae principem tenent locum, Jus publicum, et privatum civile patrium, vel ideo, quod utrumque explicet Jura tam publicarum, quam privatarum personarum, Obligationes item Civibus tam erga Civitatem ejusque Regimen in concreto, quam erga singulos Concives incumbentes, e quarum transgressione Delicta, et quidem certis in casibus Criminalia

etiam Delicta oriuntur. Praeterea ex Jure publico discimus Organisationem Judiciorum, Correlationes Status unius erga alium, Jura Nobilitatis, et similia, quae cum Procedura Criminali magnum habent nexum.

§ 21.— 8. Historia Regni.

Omni tandem Juri, ac etiam Criminali facis instar praelucere debet Historia Regni, ac signanter Historia Constitutionis Criminalis, quam nunc aggredimur.

CAPUT IV.

HISTORIA JURIS CRIMINALIS HUNGARICI.

§ 22. Evolutio Legum Criminalium in Nanibus barbaris.

Qui meatum successive progredientis efformationis societatum civilium in Nationibus barbaris attentius contemplatur, sequentes circiter Epochas notabit, totidem gradus, quibus a barbarie pedetentim ad civilisationem progressae sunt, denotantes:

1. In Statu Anarchiae patresfamiliarum armis decernunt suas Lites; sed et posteaquam debiliores ad tutelam potentiorum confugerunt, taliterque prima societatis civilis fundamenta jacta sunt, privati aliquamdiu maximam partem libertatis naturalis retinent, et jus laesiones illatas vindicandi illimitate competit ipsi laeso. Mox:

2. Legislator conatur laesum, in exercitio juris vindictae, certis formalitatibus alligare, et asyla constituendo, cogit illum ad differendam vindictam. Sic fit,

3. Ut evaporato primo impetu irae, laesus cum laedente accordare incipiat, laesionemque mulcta pecuniaria redimi permittat. Demum:

4. Quantitas mulctae pecuniariae haud amplius voluntati laesi committitur, sed per Legislatorem determinatur; qui vero mulctam deponere non vult, punitur pœna talionis, et non aeriori. Ita denique:

5. Vindicta privata pedetentim abrogatur, et ipsa Civitas punit. — In hac ultima periodo solum possibile est, bonum Systema Criminale organisare.

§. 23. *Leges Criminales Hungariae ante Andream II.*

Majores nostri procul dubio omnes has periodos peragrarunt: sub Stephano S. ubi Jus scriptum incipit, invenimus illos in periodo 4-ta, in qua mulctae et pœna talionis locum habuerunt; utriusque enim exempla in Legibus hujus Regis reperimus: gravissima delicta, etiam Conjugicidia, Lib. 2. cap. 14. et voluntaria homicidia, cap. 16. certo numero juvencorum vel auri pensarum redimuntur, e contra cap. 46. 47. in eos, qui homines gladio peremerint, aut vulneraverint, pœna talionis statuitur, quam tamen pœnam talionis, uti et quamvis corporalem, plerumque redimi potuisse, inter alia exemplo cap. 15. 39. 40. &c. clarum est. Cum praeterea principalis S. Stephani intentio fuerit, Christianismum neo- introductum constabilire, plerisque pœnis civilibus etiam eccle-

siasticas, e. gr. Jejunia, adjunxit, et Episcopis magnam concesit Jurisdictionem. Cap. 51. illis, qui in Regem aut Regnum conspirant, dictatur anathema, nec ullum refugium habeant ad Ecclesiam. De procedura criminali eotum adhuc parum Legislator sollicitabatur, exstant tamen cap. 3. et 19. quaedam statuta de qualitatibus testium et accusatorum.

Idem circiter spiritus est legum per S. Ladislaum latarum, nisi quod in illis major observetur rigor, quem necessitas, invalescentia inprimis furta reprimendi dictasse videtur. Lib. I. cap. 3. marito admittitur, uxorem adulteram occidere. Capite 28. invenimus judicium ferri et aquae, sub directione presbyterorum. Lib. 2. cap. 13. est vestigium degradationis Clericorum in furtis majoribus. Memorabile est etiam Libri 3-tii caput 24. Si quis Judicum distulerit litigia ultra 30 dies, vapuletur.

Colomannus, ut in aliis, ita et in Jure Criminali, multa egregie egit. Ita Lib. 1. cap. 22. Judicium ferri et aquae nonnisi in Sede Episcopi, et majoribus Praesposituris, admittitur. Lib. 1. cap. 26. 27. de qualiter acceptandis testium fasionibus disponitur. Lib. 1. cap. 55. is, qui sola suspicione furem ceperit, ut fur judicandus praecipitur. Lib. 1. cap. 56. proles delinquentis infra 15 annos natos, impunes dimitti jubet. Lib. 1. cap. 57. quaestionem de Strigis, (Sagis,) „quae non sunt, abrogat: id quod in tanta „Saeculi caligine sapienti Regi aeternae ce„dit gloriae!“

§ 24. *Ab Andrea II. ad tempora Verbőczii.*

Bulla aurea Andreae II. quae in Jure publico Hungariae tanti est momenti, meretur, ut in Jure etiam Criminali Epocham faciat, vel ideo, quia magnum illud aeternae Justitiae Axioma, subseque multis legibus confirmatum, quod nemo non citatus convinci possit, art. 2: 1222. adminus quoad Nobiles, legum tabulis prima intulerit. In periodo autem illa temporis, quae ab Andrea II. usque Verbőczium protenditur, sequentia notamus:

1. Discrimen inter Delicta publica et privata nondum fuit satis clarum. Delicta illa, quae Actus majoris potentiae vocamus, quibusve Legislatio illius temporis multum occupabatur, eotum poena mortis, quam relaxare ab arbitrio laesi pendebat, et amissione bonorum puniebantur. Homicidae casuales, Math. 6: 51; Ulad. 1: 82; ad accordam cum occisi Consanguineis ineundam inviantur; deliberati, poena mortis plectendi decernuntur.

2. Majora Delicta Criminalia, sub nomine Notae Infidelitatis comprehensa, quo tamen multa etiam heterogenea, e. gr. Incendiariatus, Incestus, &c. referebantur, Math. 1: 2; Ulad. 2: 4; puniebantur poena mortis, et amissione bonorum. Judicabantur autem per Regem, cum consilio Praelatorum et Baronum, Math. 1: 1; 2: 3; 6: 46; Ulad. 1: 13; immo et in Diaeta, Ulad. 2: 3; sed nonnunquam etiam per Judices Regni ordinarios. Ulad. 2: 3.

3. Reliqua Delicta Criminalia, ut praedocinia, homicidia, furta, et alia, quae nimirum pœnam mortis absque confiscatione Bonorum constitutam habebant, subjacebant Judicatui Comitatuum, Sigism. 2: 5; Math. 6: 48; 51: Ulad. 1: 82; 2: 19. Civitatum item et Liberarum Villarum, Sigism. 2: 5; nec non Nobilium, ex speciali gratia Regia illis concedi solita, prout Sigism. 2: 5; dicitur; immo Ulad. 2: 19; Jurisdictionem Criminalem generatim Nobilibus, et quibusvis possessionatis hominibus, qui Liberi Comites appellantur, tribuit.

4. Judicia aquae ferventis, ferri candentis, et reliqua ita dicta Ordalia, quae aevo medio per universam fere Europam vigebant, in Hungaria quoque usitata fuisse, historiae monumenta testantur. Attamen Mat. 6: 18; Ulad. 1: 37. Duellum judiciale abrogatum est, praeter Casus occultos, ubi in Curia militari Regia decernendum statuitur.

5. Multae Leges hujus periodi, admodum durae sunt, et barbariem illorum temporum spirant. Ita Math. 3: 19; illos, qui praetermissis Regni Judiciis, conquestum Roma impetrant, capitis damnat. Ulad. 2: 31; disponit, ut illi, qui ab aliis, quam Rege, et legitimis Patronis, beneficia Ecclesiastica impetrant, ad aquam projiciantur. Crudele supplicium rebellis Dó'sa ex historia notum est: ejus asseclae art. 14: 1514; cum omni posteritate sua, perpetuae Subditelae mancipantur.

6. Dantur tamen in hac quoque periodo Leges plenae humanitatis, quae si parte ab

una deplorandam Regiminis debilitatem pandunt, parte tamen ab altera, equestris cordialitatis ſpiritum prae ſe ferunt. Ita Math. 6: 47; diſponit, ut si quispiam infidelium, ex confidentia ad aliquem amicorum ſuorum confugeret, is illum recipere, et per 12 dies, (juxta Ulad. 1: 83; per 40:) impune apud ſe conſervare, immo penes ſalvum Conductum vigore ejusdem legis conceſſum, ad Regem comitari, et pro gratia intercedere poſſit; et nonnisi tunc, si gratiam obtinere nequiret, illum ad ſe amplius recipere non audeat, idque non amplius ſub pœna notae infidelitatis, prout antea Sigism. 3: 9; ſed ſub pœna amiſsionis illius loci, ad quem eum recepiſſet. —Ulad. 3: 46; officiales Dominorum notam incurrentium, qui honori et humanitati ſuae, militarique officio ſatisfacere studentes, Castra Dominorum ſuorum sibi concredita, contra Regem ipſum aut Regnum, armis defendunt, a pœna notae infidelitatis abſolvit, et nonnisi ad refusionem damnorum obligat; illis ſolum, qui post incursum notae ſe Dominis ſuis adjunxiſſent, a favore hoc exclusis.

§ 25. *A temporibus Verbőczianis ad Carolum III.*

Stephanus Verbőczy, vir magni talenti, et quidquid demum contra moralem ejus characterem obverti poſsit, Juristarum ſui temporis facile primus, de rebus Criminalibus quidem per accidens ſolum, et quasi per tranſennam differit; multa tamen, quae e. gr. tit. 14. 15: 1mæ. 44: 2dæ. 20: 3tiæ. di-

cuntur, situm illorum temporum multum clarificant; alia, uti illa, quae titt. 21. usque 24: 3tiæ. de moderamine inculpatae tutelae dicuntur, produnt ingenium non postremum, et per philosophum Juristam negligi non debent. Ex tit. 32: 3tiæ. discimus, Jurisdictionem Criminalem praeter Comitatus (et Liberas Civitates, 20: 3tiæ.) etiam Oppidis et Villis, Nobilibus item Privilegia desuper habentibus competiisse; homicidas vero, incendiarios et violentos adulteros in flagranti deprehensos, etiam per tales, qui Privilegia non habebant, judicari potuisse.

His quoad Tripartitum praemissis, de periodo, quae a Verbőczio ad Carolum III. procurrit, sequentia notamus:

1. Post abrogata Ordalia, longe gravior abusus, ex Jure Romano originem ducens, auctoritate potissimum Pontificum Romanorum ad Leges omnium Nationum Europae, et etiam Hungarorum irrepsit, Tortura nempe judicialis; medium eruendae veritatis et injustum et ineptum, ipsis Ordaliis, prout Filangieri in celebri opere suo ingeniose demonstravit, centenis gradibus absurdius, et detestabilius, articulo demum 42: 1791. definitive sublatum.

2. Tempora inter Cladem Mohácsiensem et Pacem Szathmariensem intercedentia, turbis intestinis et factionibus plena, multas in sphaera etiam Juris Criminalis irregularitates viderunt, ut sunt: Commissio Posoniensis, quae Ministros Evangelicorum pro pacis regnanae turbatoribus reputatos

e Regno pepulit, et ad triremes damnavit, delegatum item Judicium per art. 6: 1687. abrogatum, cujus Acta sub nomine Lanienae Eperjesiensis famosa sunt, et his similia. Non tamen est dissimulandum, quod his anomaliis occasionem dederit ipsa Legum hac periodo vigentium dispositio, quae Crimen laesae Majestatis et Notam Infidelitatis, extraordinariis per Regem delegatis Judicibus, judicandum deferebant, 43: 1559. quem defectum fixi et legalis Judicii articulus tantum 56: 1791. Judicatum Tabulae Regiae deferens correxit. Sunt interim haud rara exempla Sententiarum etiam per Comitia latarum; ita Georgius Debreczenyi propter dehonestatos Consiliarios Regios art. 48:1588. in pœna notae infidelitatis convincitur; art. vero 22: 1593. postquam ab illis veniam impetrasset, aeque Diaetaliter absolvitur.

3. Judicatus aliorum Criminum permansit ultro penes Comitatus, Civitates et Dominia, 35: 1518; 44: 1545; 50: 1548. &c. ea tamen fuit temporum calamitas, ut Comitatibus ad compescendos malefactores haud sufficientibus, Capitaneis militaribus provincia eosdem exstirpandi concredi debuerit: 25: 1546; 18: 1547; 15: 1548.

4. Immunitas Nobilium a Jurisdictione L. R. Civitatum accuratius determinata, 1546: 41; 1635: 21; 1647: 78; una tamen, ne Citationis formalitas profugiis malefactorum Nobilium ansam praebeat, casus, in quibus Nobilis ante Citationem capi possit, definiti sunt. 13: 1625; 38: 1655; 14: 1687.

5. Exceſſus Militum, qui pro bellicosis temporum circumstantiis in Regno ſervari debebant, frequentiſsimas ex parte Regnicolarum cauſarunt querelas, et innumeris Legibus dederunt originem.

6. Reperiuntur in hac periodo quamplurimae ſpeciales Leges Criminales, e. gr. de homicidis, 38 usque 41: 1563. quibus Appellata et Novum conceditur, 41: 1563. una tamen Rex promittit, quod eos aggratiare nolit, 63: 1563. Extraneas cupreas monetas in Regnum inducentes, capite plectantur. 35: 1526. Lutherani comburantur, 54: 1523; 4: 1525. Mulieres, quaestus gratia ad Castra commeantes, ad aquam projiciantur, et quaestum viris relinquant, uti 34: 1595. dicit.

§ 26. *A Carolo III. ad Leopoldum II.*

Compositis tandem Pace Szathmariensi Seditionum fluctibus, melior Justitiae etiam Criminali aurora illuxit. Quantum Carolus III. optimos inter principes referendus, in tribus annorum 1715. 1723. et 1729. Diaetis ad reformandum Regni statum contulerit, neminem latet. Signanter, cum pleraque fere Criminalia Delicta hactenus ſub Nota Infidelitatis comprehensa fuiſſent, art. 9. usque 12. 1723. Confusio haec ſublata, et plurima eorum ad mitiores pœnas reducta fuerunt, licet non sit diſsimulandum, nunc quoque talia ad Notam referri, quae juxta genuina Juris principia, eo minime pertinent, quale est, ſpoliatio illorum, qui Turcicam Religionem deſerentes, ad hoc Regnum confu-

giunt, haeresis, &c. E contra pœna Criminis laesae Majestatis exasperata est per art. 9: 1715. qui prolium quoque innocentium portiones confiscari praecipit; et is quoque abusus jam superius notatus art. 7: 1715. retinetur, ut nimirum Crimen laesae Majestatis per Regem vel Delegatos, nativos quidem Hungaros, et nisi Rex ipse praesideat, intra Regnum consessuros, judicetur. Reliquae Causae Criminales per art. 35: 1729. Sedriae deferuntur.

Maria Theresia, quamvis Leges Criminales in Comitiis vix aliquas condidit, quamvis item Constitutio ejus Criminalis pro Ditionibus germanicis condita, in Hungaria vim legis haud obtinuerit immortalem tamen per quasdam dispositiones in hac quoque sphaera sui reliquit memoriam, dum Jura asyli restrinxit, Processum contra Sagas abolevit, Torturae usum suspendit, et similia.

Josephi II. Sanctio Criminalis, velut extradiaetaliter introducta, et in multis, e.g. in eo, quod permultis Delictis amissionem nobilitaris praerogativae pœnae loco dictaverit, spiritui Constitutionis Hungaricae contraria, quamvis in reliquo manifesta philantropicarum magnanimi Principis Intentionum, signanter in abrogatis pœnis capitalibus, indicia prae se tulerit, cum ipso auctore suo tumulo illata est.

§ 27. A Leopoldo II. ad nostra tempora.

Quae in Comitiis aeternum memorandis anni 1791. in re Criminali gesta sunt, praeter ea, quae art. 40. et 41. circa Codicem

Criminalem Josephinum constituta leguntur, eo fere redeunt, quod art. 42. 1791. Torturam definitive aboleat; 43 Sententias capitales etiam Ignobilium appellandas disponat; 56 Crimen laesae Majestatis Judicatui Tabulae Regiae deferat, et amissionem bonorum iterum ad solam Delinquentis portionem restringat.

Sub Francisco I. Deputatio Regnicolaris per art. 67. 1791. pro elaborando Codice Criminali exmissa, opus suum terminavit, necdum tamen Diaetaliter revisum. Art. 5. 1805. usum anonymarum delationum prohibens; 16. 1792. et 9. 1807, celeriori Causarum Criminalium revisioni prospicientes; denique 12: 1807. pœnam furti in fraudulentos fallimentarios statuens, recentissimis Legibus adnumerantur. De Jure Statario, in quibusdam Regni partibus introducto dictum est supra,

Videndum jam est, quisnam sit praesens Juris Criminalis in Hungaria status, id quod in sequentibus explicatum pergimus.

PARS I.

DE DELICTIS EORUMQUE POENIS.

CAPUT I.

DE DELICTIS EORUMQUE POENIS IN GENERE.

§ 28. *Poena quid?*

Pœna sensu latissimo est omne malum physicum, quod personae ideo infligitur, quia Actionis, seu positivae, seu negativae, (omissionis) auctor est. Hoc itaque sensu etiam refusio Expensarum, quae moroso Debitori in Processu Liquidi Debiti dictatur, pro pœna haberi debet: strictiori tamen sensu pœna distinguitur, et utique sollicite distingui debet a Satisfactione laeso praestanda; quivis enim videt, quod ex. gr. longe aliud sit restitutio Boni occupati, et aliud pœna violentiae. Illa requiritur ad abolendam praeteritam laesionem; haec vero ad praecavendas futuras.

§ 29. *Jus puniendi.*

Jus puniendi, quod in statu naturae cuivis laeso competit, est Jus, laedenti malum physicum tamquam motivum infligendi, ut in posterum a laesione abstineat. Jus hoc ex Jure defensionis profluens, non tamen cum eodem identicum esse; nunc plane monuimus. In Statu civili Jus puniendi exercet

Civitas, per privatos vi pacti ſocialis in illam translatum.

Complures Juris Doctores, Jus puniendi Civitatis inde derivarunt, quasi singuli privati ad casum, si deliquerint, ſemet ipsos pœnis ſubjeciſsent; ex hoc ſupposito profluxerunt Corollaria erronea, ex. gr. inde argumentum nectebatur contra jus Supplicia capitalia dictandi, cum nullus privatus jus habeat in propriam vitam, adeoque illud nec in Civitatem transferre potuerit. Verum non ita res concipi debet, ac si privati jus in propriam vitam, in Civitatem transtuliſsent; sed transtulerunt jus illud, quod singulus laesus in vitam laedentis habet, dum ſe ipsum aliter a laesione tueri non potest.

§ 30. *Finis poenarum.*

Ex praemiſsis jam intelligitur, quis sit finis pœnarum, est enim nullus alter, quam ut laedens a continuanda vel repetenda laesione detineatur: nam inde unice Jus puniendi derivari potest. Ergo finis pœnarum:

1. Non est moralis emendatio Delinquentis, nam haec per pœnas non obtinetur, ſed nec est ad finem Civitatis necessaria; immo nec habet quispiam Jus perfectum, alium, si is nolit, moraliter emendandi, aut eidem propter id malum physicum infligendi, de quo ſoli Deo respondere tenetur.

2. Neque est finis pœnarum is, ut alii a delinquendo deterreantur, ſecus ſequeretur illud absurdum, quod etiam innocens puniri possit, si exemplum pro aliis sit ne-

cesarium, sed neque tenetur quisquam vel minimum malum pati propterea, ut alter ab incurrendo simili malo deterreatur.

Obs. Si tamen in determinanda quantitate pœnae, ad emendationem delinquentis et exemplum reflecti non potest, non tamen ideo ambigendum est, quin in modo inflictionis, ad hos quoque ceu fines quadamtenus secundarios attendi possit, ita nihilominus, ne propter id delinquenti majus malum infligatur, quam primarius ille finis exegisset.

§ 31. *Quae actiones non possint puniri?*

Patet ultro ex his, quod ubicunque necessarium non est, Delinquentem a continuanda laesione deterrere, vel ubi pœna hunc effectum producere non posset, ibi nec adsit Jus puniendi, consequenter pœna esset injusta. Ideo:

1. Actiones tales, in quibus voluntas patrantis nullam habet partem, ut sunt actus ex absoluta et irresistibili coactione, aut invincibili ignorantia profecti, actus item in amentia, delirio, aetate impubere, et usu rationis necdum gaudente, patrati, puniri non possunt; nam in his omnis pœna esset inutilis, quamdiu causae illae durant, cessantibus autem iis, non est necessaria, cum quivis intelligat, illum, qui actum unice ex absoluta coactione, amentia &c. patravit, cessante coactione vel amentia, illum amplius haud patraturum esse, consequenter nec motivo, seu pœna, qua ab illo repetendo deterreatur, indigere.

2. Eadem est ratio actuum pure casualium, ubi nempe impossibile fuit patranti, praevidere effectum illum legi contrarium, quem actus ejus produxit.

3. Actiones mixtae, ad quas patrandas homo metu alicujus mali inducitur, quasve patraturus non fuisset, nisi metus ille adfuisset, sequentes regulas recipiunt in Jure, (alias in Ethica, ubi malum facere nec propter metum maximi mali physici licet,) quae ex praeexpositis Principiis facile deducuntur:

a.) Electio inter duo vel plura mala aequalia non debet puniri.

b.) Inter inaequalia mala non meretur pœnam is, qui minus eligit, ex. gr. qui in extremo periculo, prae fame pereundi, constitutus, furatur; sed is meretur pœnam, qui majus eligit, e. gr. qui metu verberum, hominem necat. In priori enim casu patet, quod cessante mortis prae fame obeundae metu, idem homo amplius furaturus non sit; in posteriori autem pandidit hoc, quod vitam Concivis sui minoris faciat, quam suam immunitatem a dolore verberum, ideoque debet ipsi pœna pro motivo adjungi, ut mollities ejus, quae illi fuit incitamentum malorum, superetur.

4. Cogitationis pœnam nemo patitur, ergo voluntas sine actu, delictum non est; nondum enim certum est, an voluntas haec ita fortis sit, ut actum Civitati noxium producere possit, consequenter nec motivo contrario indiget. Ita, qui alium occidere minatur, nondum est homicida, quia potest post minas voluntatem mutare.

5. Quod actiones tales, quae nullius vera Jura laedunt, et fini Civitatis contrariae non sunt, etiamsi sint immorales, puniri non possint, ex ipsa indole Juris puniendi ita clarum est, ut nec moneri debeat.

§. 32. Delictum quid?

Nunc demum plene intelligi potest definitio Delicti, quam supra §pho 2. dedimus, quod nempe sit violatio libera et externa Legis pœnalis humanae. Nam profecto, prout nec actus sine voluntate, ita nec voluntas sine actu est delictum. Si tamen voluntas manifestetur per ipsum actum legi contrarium, ex. gr. si quis sicarium conducat, etiamsi is demum assassinium non patret, adeoque effectus non sequatur, conducens tamen puniri debet: nam, quantum ad illum, Delictum jam consummatum fuit, neque illius voluntati adscribendum est, quod illud effectuatum non sit, adeoque necessitas omnino adest, illi per pœnam motivum suppeditandi, ne alia vice ad simile faciendum prolabatur.

§ 33. Dolus et Culpa quid?

Delicta alia dolo, alia culpa committuntur. Dolus adest, ubi delinquens effectum legi contrarium reapse intendit; culpa vero, ubi illum non quidem intendit, sed tamen praevidere potuit. Ubi idem effectus, qui secutus est, intendebatur, est dolus directus; ubi non quidem idem, sed tamen alter etiam illicitus: indirectus. Ergo in dolo adest voluntas, legem violandi; in

culpa, non quidem voluntas legem violandi, ſed tamen voluntas, ſemet periculo violationis exponendi.

Tam dolus quam culpa differunt a casu, ubi effectus legi contrarius praevideri per patrantem non potuit, adeoque nec voluntas legem violandi, nec ſemet violationis periculo exponendi adfuit. In reliquo ſuapte patet, quasdam delictorum ſpecies tam doli, quam culpae, alias vero, prout furtum, ſolius doli capaces eſſe. Patet et hoc, culpam quoque pœna dignam eſſe ut nimirum culposo motivum majoris circumſpectionis adhibendae ſuppeditetur, ne ſemet periculo legem vel invitus violandi exponat.

Obs. Quaeri solet, an actiones in ebrietate commiſsae sint pœnales? Verum quidem est, quod ebrietas usum rationis ſuspendat, sitque ſpecies delirii, in quo homo consectaria actionum ſuarum dijudicare nescit; verum tamen, antequam ſe inebriasset, ſcivit, quod per id ſe ad statum talem collocet, in quo de ſe amplius respondere non poterit; ergo fuit in illo voluntas, ſemet periculo violationis legis exponendi, id est, culpa, immo moraliter loquendo etiam plus quam culpa; nam culpa ſupponit actionem in ſe licitam, ſed ebrietas jam in ſe est illicita, nisi fors citra voluntatem hominis fuit contracta, quia tunc culpa vacat, e contra is, qui ſe studio inebriat, ut ad delinquendum audacior evadat, ut dolosus puniri meretur.

§. 34. Delictorum qualitas et gradus.

In omni delicto duo ſpectanda ſunt, qua-

litas et gradus. Illa consistit in qualitate Juris, quod per delictum laesum est, ita ut duo delicta, quae idem Jus, seu idem punctum pacti socialis laedunt, ejusdem; quae vero diversa laedunt, diversae qualitatis esse censeantur. Gradus vero delicti, consistit in gradu culpae vel doli, qui subversatur. Deputatio Regnicolaris anni 1791. damnum, quod per delictum Reipublicae infertur, nominat delicti quantitatem; gradum vero culpae vel malitiae ejusdem qualitatem: at minus commode.

Solent autem Culpae tres gradus statui:

1. Culpa levissima est, ubi possibilitas effectus legi contrarii fuit valde exigua.

2. Levis, ubi non quidem plane exigua, sed tamen minor, quam possibilitas effectus liciti, quem agens intendebat.

3. Lata, ubi possibilitas effectus legi adversi fuit aequalis, vel major, possibilitate effectus, quem agens intendebat. — Qui in magno concursu hominum, leporem jaculari volendo, hominem trajicit, committit culpam latam; qui in via publica, sed vacua, levem; qui in via abstrusa, et parum trita, levissimam; qui in densa sylva, ubi hominem latere, scire non potuit, casum.

Perinde etiam Doli tres gradus statui possunt:

1. Minimus, ubi motivum ad delinquendum impellens fuit forte, vel delictum in aestu passionis patratum est, ex. gr. homicidium inter rixandum,

2. Medius, ubi motivum ad deliquendum fuit parvum, et actus frigido sanguine ac deliberato animo patratus, ex. g. homicidium lucri causa.

3. Maximus, ubi motivum ad deliquendum, in mera petulantia, perfidia, et crudelitate subsistebat, ex. gr. homicidium ignoti hominis unice fine probandae qualitatis sclopi.

§. 34. Mensura Delicti.

Mensura Delicti est id, e quo intelligitur, quodnam e duobus Delictis majorem, et quanto majorem pœnam mereatur, quam aliud. Consistit autem mensura Delicti:

1. Inter duo Delicta ejusdem gradus, sed diversae qualitatis in gravitate et momento Juris, quod laesum est, magnitudineque influxus, quem idem ad salutem Civium exerit: ita homicidium ceteris paribus est majus Delictum, quam furtum; cujus enim animus ita comparatus est, ut hominem vita spoliare non vereatur, is majori indiget motivo ad non delinquendum, quam is qui tantum res alterius attrectat; de illo, qui nimirum majus Jus violavit, metui debet, quod minus quoque violaturus sit, sed non e converso. Peculiariter etiam ad id reflecti debet, quod Delicta, quae facilius occultari, et difficilius probari possunt, gravius puniri debeant, ut hac ratione motivum delinquendi ex spe impunitatis resultans, metu gravitatis pœnae superetur.

2. Inter duo Delicta ejusdem qualitatis, sed diversi gradus, illud, quod in majori gradu culpae vel doli patratum est, majo-

rem pœnam meretur, quam quod in minori, et dolus majorem, quam culpa; nam in illo, depravatio voluntatis, et in eadem contentum motivum ad delinquendum, est major, proinde etiam majori motivo contrario indiget. Cavendum est hic, ne amphibolia verborum confundamur. Diximus nimirum, quod ubi motivum pro delinquendo forte fuit, ibi sit minimus doli gradus; posset autem aliquis putare, quod ibi recte debeat esse maxima pœna, ut nempe forte illud motivum superetur. Sed notandum, quod ibi nobis sermo fuerit de motivo externo et accidentali, ex. gr. fame in patrando furto, qua sublata, furtum commissum non fuisset, et ideo clarum est, quod homo, qui extrema duntaxat fame adactus furatur, secus autem non, non indigeat tanto motivo ad abstinendum a furto, quam is, qui furatur ex passione et voluptatis gratia, vel is, qui ordinarie ex furtis victitat: ille enim societati periculosus non erit, nisi fame adactus, hic autem semper est, nisi pœnis reprimatur. Ideo etiam homo, cujus consvetudo furandi in habitum, et alteram quasi naturam abivit, quamvis propter irradicatam propensionem jam exiguam libertatem habere, et ex eo minus punibilis esse videatur, debet tamen ceteris paribus acrius puniri, quam is, qui prima vice furatur, idque ideo, ut forte motivum ad furandum, quod ille prior habet, id est, propensio, per gravitatem pœnae sufferatur, et quasi aequilibretur: id quod cum priori Exemplo contradictorium non est, ibi enim

motivum ad furandum fuit externum, id est, fames, qua ceſſante, ceſſat delictum; hic vero est motivum internum, id est, vitiosus animi habitus, qui ut ceſſet, recte acrioribus pœnis opus est. Ita, si ſcientia quaepiam ad ſua firma principia reducatur, ſuapte evaneſcunt omnes ſcrupuli et obſcuritates.

3. Inter Delicta, quae et gradu et qualitate diversa ſunt, quantitas eorum est in ratione composita gradus et qualitatis: hinc positis diversis gradibus, pœna delicti, quod qualitate gravius est, minor eſſe potest, quam pœna alterius qualitate quidem levioris, ſed in altiori gradu patrati; nec implicat, ut una eademque pœna ſextuplici delicto dictetur, pro diversitate graduum, ita, ut pœna delicti unius in primo gradu, sit aequalis pœnae alterius in 6. gradu, &c.

Obs. Legislator magnopere cavere debet, ne minoribus Delictis, pœnas graviores dictet, ſecus pro majoribus Delictis nullae commensuratae pœnae remanebunt, et homines ad patranda majora potius, quam minora Delicta incitabuntur, prout in illis Regionibus, ubi pœna latrocinii, et simplicis furti est aequalis, omne fere furtum conjunctum est cum homicidio; fur enim ſciens, quod in caſu quoque homicidii furto ſuperadditi, nihil pejus, quam in simplici furto metuendum habeat, eo ipſo ad homicidium stimulatur, quod illum periculoso delatore liberat. Neque metuendum est, ne in tanta Delictorum et quoad qualitatem et quoad gradum diversitate, ac multitudine Legislatorem

convenientes pœnae deficiant; praeterquam enim, quod, prout jam monuimus, una eademque pœna pluribus Delictis convenire possit, nihil etiam obstat, quominus in gravioribus Delictis diversae etiam pœnae conjungantur, uti pœna mortis cum multa pecuniaria vel infamia, &c. id quod dabit infinitam graduationem. Ut autem intelligatur, quaenam e duabus pœnis sit gravior, attendendum est etam ad valorem relativum Jurium, quae per pœnas amittuntur, in opinione hominum subsistentem, quem capite tertio uberius explicandi occasionem habebimus.

§ 36. *Circumstantiae alleviantes et aggravantes.*

Antiquiores Juris Criminalis scriptores, immo et Legislatores multum se afflixerunt recensione Circumstantiarum ita dictarum alleviantium et aggravantium, quae quid significent, ipsa nomina indicant, quasve penes singulam Delicti speciem studiose enarrabant. Nobis mole hac inutilium specialitatum memoriam onerare, necesse non est; quiscunque enim distinctionem sex, (vel in Delictis, quae culpae capacia non sunt, trium,) Delicti graduum, principiaque quibus graduatio Imputabilitatis innititur, semper prae oculis habuerit, et ad casus obvios rite ac judiciose applicuerit, putido illo apparatu facile carebit. Cavendum vero est, ne talia adjuncta pro Circumstantiis unius ejusdemque delicti habeamus, quae ipsam qualitatem delicti alterant, ita ex. gr. Regicidium est alterius qualitatis delictum, quam sim-

plex homicidium, in illo enim duplex officium violatur, ſubmiſsio Regi debita, et reſpectus vitae alienae. Contra regulam hanc in praxi Criminali nostra frequenter peccatum est.

CAPUT II.

CLASSIFICATIO DELICTORUM.

§ 37. Classes Delictorum juxta qualitatem.

Divisio Delictorum in privata et publica, civilia item et criminalia, prout jam §. 2. et 3. annotavimus, est Juris tantummodo positivi, adeoque ab arbitrio Legislatoris dependens; qualitas e converso Delictorum juxta § 34. consistit in qualitate Jurium, quae per illa laeduntur, et ab arbitraria illa Divisione independens est. Dum proinde Classificationem Delictorum juxta qualitatem adgredimur, ad repetitim fatam Divisionem illorum in publica et privata, civilia et criminalia reflectere non possumus; debemus autem talem Claſsificationem praemittere, antequam de singulis speciebus Criminalium Delictorum, (de quibus solis nobis teste § 1. in hoc opere sermo esse potest,) agamus; nunquam enim aliquis de Delicto quopiam rite judicabit, nisi locum, quem in Tabella omnium Delictorum occupat, sibi cognitum habuerit.

§ 38. Duplex Classis Delictorum.

Tot ſunt Delictorum ſpecies, quot ſunt actiones liberae et externae, quibus ſalus

Civitatis et Jura Civium violantur. Alia tamen Delicta per id violant Jura Civium, quod laedant salutem Civitatis in concreto; alia e converso per id laedunt salutem Civitatis quod violent Jura privatorum. Hinc existit duplex Clasis Delictorum; quorum illa, Delicta contra Securitatem publicam, haec vero contra Securitatem Privatorum nominantur.

Obs. Cavendum, ne existimemus, idem esse Delictum privatum, et Delictum contra securitatem Privatorum. Homicidium est Delictum contra securitatem Privatorum; sed tamen est Delictum publicum. § 2.

§ 39. *De Delictis contra Securitatem publicam.*

Delicta contra Securitatem publicam alia sunt contra Majestatem in genere, id est, contra supremam in Republica potestatem; alia contra singulos Potestatis hujus Ramos. Versatur autem Potestas publica:

I. Circa ipsa Subjecta et Objecta Civitatis, et quidem:

1. Removet ea, quae fini Civitatis contraria sunt; possunt autem haec esse:

a.) Homines et quidem:

aa.) Concives: Justitia publica, tam civilis, quam criminalis.

bb.) Extranei: Ars militaris, et Diplomatia.

b.) Res inanimatae vel Bruta: Policia sensu strictiori.

2. Procurat ea, quae ad finem Civitatis necessaria sunt, et quidem:

a.) Res, id est Divitias nationales: Oeconomia nationalis sensu latiori.

b.) Homines: Educatio nationalis.

II. Circa Media Administrationis publicae et quidem:

1. Homines, id est, Officiales publicos: Constitutio.

2. Res, seu Proventus publicos: Financiae.

§ 40. *De Delictis contra Securitatem privatorum.*

Jura privatorum concernunt:

1. Bonum ordinem familiarum.

2. Vitam, libertatem, et integritatem corporis.

3. Honorem.

4. Proprietatem.

§ 41. *Tabella Delictorum.*

Ex his praemissis facile construi potest Tabella Delictorum; quam dum isthic exhibemus, simul penes Delicta illa, de quibus speciales Leges in Hungaria exstant, Leges has annotabimus.

Sint itaque:

I. Delicta contra Securitatem publicam.

A. Delicta contra Majestatem.

1. Crimen laesae Majestatis sensu strictissimo, quo quis illi, qui ex Constitutione Reipublicae Jus summi Imperii exercet, illud eripit: S. Steph. L. 2. cap. 51; Colom. L. 2. cap. 6; 1-æ. 14. § 1; 7. 9: 1715; 56: 1791.

2. Regicidium, i. e. occisio Regis, Reginae vel Coronae Principis, absque tamen

intentione Imperium usurpandi, secus ad Numerum 1. pertinet. Regicidium apud nos semper refertur ad Crimen laesae Majestatis, ex legibus citatis.

3. Proditio Patriae, qua quis Patriam, Exercitum, Fortalitium, &c. hostibus tradit, vel hostes ad Regnum inducit: apud nos spectat ad Notam Infidelitatis, 1.æ: 14; 1723: 9.

4. Vera et manifesta Injuria, personae Summi Imperantis factis vel verbis illata, apud nos refertur ad Crimen laesae Majestatis, ex legibus citatis.

B. Delicta contra singulos Potestatis publicae Ramos.

1. Delicta contra Justitiam publicam in genere sumtam, id est, contra illum potestatis publicae Ramum, qui Cives a laesionibus Concivium tuetur. Commituntur per Privatos:

a.) Potestatem publicam sibi via facti appropriando; huc spectat:

aa.) Tumultus, et quidem:

a.) Pro scopo illicito.

b.) Pro extorquendo justi desiderii implemento. Utrumque apud nos ad Crimen laesae Majestatis, vel Notam Infidelitatis trahitur. 1.æ. 14; 9: 1723.

bb.) Bellum privatum, seu vis publica: 1608. 2. post cor.; 1622: 39; 1723: 12. § 4.

cc.) Occupationes Bonorum, pro re nata sub categoriam Actus majoris potentiae, vel violentiae recidentes. 1723: 10; 1609: 29; 1613: 23. &c.

b.) Exercitium Potestatis publicae impediendo. Huc spectat:

aa.) Violatio Sedis: 57: 1723.

bb.) Laesio Judicum ex officio procedentium, in Diaeta querulantium, Causantium &c. ad actum majoris potentiae relata. 10: 1723.

cc.) Protectio Malefactorum et Fautoratus: 1563: 39; 1659: 17.

dd.) Contumacia, id est: non-comparitio ad Citationem Judicis, de qua Parte II. plura.

ee.) Surreptio vel falsificatio Actorum publicorum, spectat ad Crimen Falsi.

ff.) Denegatio Testimonii. 81: 1563; 49: 1635. &c.

gg.) Perjurium per Testem commissum 2-æ. 30.

hh.) Corruptio Testium.

ii.) Calumniatio, id est, falsa delatio innocentis. 9: 1567; 18: 1604.

kk.) Praevaricatio, i. e. collusio accusatoris cum accusato.

ll.) Inquisitionis turbatio. 49: 1635; 60: 1638; 92: 1647.

c.) Publicam quietem turbando.

aa.) Traditio et Expugnatio Castrorum. 1723: 11. § 9.

bb.) Obsessio viarum, latrocinium et praedocinium. 1-æ. 15; 1548: 49; &c.

cc.) Propalatio falsorum et noxiorum rumorum. 1723: 12. § 3.

dd.) Usus illicitorum armorum.

ee.) Turbulentia in locis publicis, e. g. Nundinis.

2. Delicta contra Jus Gentium, (quo Diplomatia et Ars militaris occupatur,) quibus nimirum contra totam Nationem vindicta Vicinorum provocatur.

a.) Excesus Belliducis, e. g. arbitraria Belli illatio, crudelitas in captivos, &c. vindicatur foro militari. 1723: 11. § 14.

b.) Violatio Legatorum exterae Nationis, vel aliorum salvum Conductum habentium; violatio salvi Conductus in genere, apud nos est Actus majoris potentiae. 1723: 10. § 3.

c.) Crimen fractae pacis publicae, vel induciarum. 1536: 52; 1608: 2. p. cor.; 1618: 3; 1622: 19; 1625: 13; 1647: 44.

d.) Pirateria.

3. Delicta contra Policiam publicam, i. e. contra illam potestatem, quae Cives a laesionibus rerum inanimatarum vel Brutorum tuetur.

a.) Propagatio pestis.

b.) Crimen Incendii. 1723: 11; 1. æ. 23.

c.) Venditio venenorum, medicaminum abortum procurantium, noxiorum item et corruptorum nutrimentorum.

4. Delicta contra Oeconomiam nationalem.

a.) Defraudatio Telonii vel Tricesimae. 1609: 17; 1723: 15. &c.

b.) Destructio viarum publicarum.

c.) Cusio vel propagatio falsarum monetarum, apud nos pertinet ad Notam Infidelitatis, 1723: 9. deberent tamen tres species distingui:

aa.) Si falsa moneta simul qnoad ligam sit vitiosa.

bb.) Si vera moneta falsificetur, ex. gr. per circumcisionem, (hoc non potest ad notam trahi.)

cc.) Si falsa moneta, sit tamen justae ligae et valoris.

d.) Luxus illicitus.

e.) Prohibita Mendicatio.

f.) Pravitas usuraria. 51: 1715; 120: 1723; 21: 1802.

g.) Falsificatio Campsorialium mercantilium, spectat ad Crimen falsi. 1723: 11; 12.

h.) Usus falsorum ponderum et mensurarum, excessus vel non admissio limitationis. 1659: 71; 1715: 79. &c.

i.) Excessus Teloniatorum et Tricesimatorum. 1723: 15. &c.

k.) Adulteratio Vinorum. 1723: 118.

l.) Devastatio Sylvarum. 57: 1791; 21: 1807.

5. Delicta contra Educationem nationalem

a.) Delicta contra Religionem.

aa.) Propagatio Atheismi.

bb.) Irrisio et offensivus contempus Cultus publici.

cc.) Haeresis, id est, propagatio Religionis in Regno non receptae, (nam de internis non judicat Praetor,) apud nos spectat ad Notam Infidelitatis, 1723: 9. de Anabaptistis exstat lex specialis 1635: 26.

dd.) Apostasia seu defectio ad Religionem non receptam. De transitu ad Sacra Evangelica vid. 26: 1791.

ee.) Sacrilegium.

ff.) Violatio Ecclesiarum. Math. 6: 61; 1522: 36.

gg.) Occupatio Aedificiorum alterius Religionis. 1647: 14; 1791: 26.

hh.) Perjurium. 2-dæ. 30.

ii.) Blasphemia. 1563: 42. &c.

kk.) Magia, quae nostro tempore in Jure Criminali non alio sensu locum habere potest, quam dum denotat Imposturam sub praetextu Artis cujusdam supernaturalis, cum damno credulorum et superstitiosorum exercitam, tunc enim Magus talis qua Impostor puniri meretur.

b.) Delicta contra Castitatem publicam.

aa.) Clandestinum Matrimonium.

bb.) Polygamia. 1599: 36.

cc.) Concubinatus.

dd.) Lenocinium cum extraneis a sanguine.

ee.) Fornicatio.

ff.) Paederastia, quam nos Sodomiam nominamus.

gg.) Sodomia, quam nos Bestialitatem dicimus.

c.) Lusus prohibiti. 1791: 31.

6. Delicta contra Constitutionem committuntur.

a.) Per Privatos.

aa.) Indebita arrogatio Jurium civilium, ex. gr. per Extraneum.

bb.) Ambitus i. e. illicita aucupatio munerum publicorum.

cc.) Dehonestatio vel actus majoris potentiae sub Diaeta. 7: 1723.

dd.) Neglecta Comparitio ad Diaetam. Ulad. 3: 1; 1635: 79; 1662: 53.

ee.) Usus incompetentium praerogativarum, ex. gr. Crucis S. Stephani.

ff.) Subductio sui a Servitio militari, et Insurrectione. 1723: 12. &c.

gg.) Servitium apud exteram, inprimis hostilem, Potentiam assumptum. 1609: 13; 1613: 14.

hh.) Transitio ad hostem; spectat ad Notam.

ii.) Desertio Castrorum; est fori militaris.

b.) Per Officiales publicos, dum fiducia per Concives in illos locata abutuntur.

aa.) Abusus potestatis judicialis ad opprimendam libertatem.

bb.) Excessus Magistratuum civicorum relate ad Nobiles, 1647: 78. &c.

cc.) Crimen repetundarum, seu concusionis, id est, aeceptatio vel exactio donariorum. Ulad. 3: 4; 44: 1649.

dd.) Neglectus Officii, 1548: 43; 1563: 78.

ee.) Dimissio captivorum.

ff.) Abusus Juris gladii. 48: 1715.

gg.) Crudelitas in Captivos.

hh.) Saevities Domini terrestris in Jurisdictionatos. 18: 1723.

ii.) Crimen residui, id est, sinistra pecuniae publicae, curae suae commissae interversio. 1563: 21; 1647: 37; 1723: 63.

kk.) Confectio falsorum Documentorum et abusus publici Sigilli, 1723: 9; 11, &c.

II.) Adulteratio monetae per Officiales rei monetariae.

mm.) propalatio Status arcanorum.

nn.) Infidelis Tutela et Curatela, 1-æ 123. &c.

oo.) Fraudulentum fallimentum. 12: 1807.

pp.) Imposturae Advocatorum.

7. Delicta contra Aerarium publicum.

a.) Peculatus, i. e. furtum privati ex Aerario publico.

b.) Fraus in dependenda Contributione.

c.) Defraudatio Salis. Sigism. 2: 20. &c.

II. Delicta contra Securitatem Privatorum, et quidem:

A. Contra Securitatem domesticam Familiarum.

1. Parricidium, Prolicidium, Conjugicidium &c. 1723. 10, 11.

2. Infanticidium, (per matrem patratum,) 1723: 11.

3. Expositio Infantis.

4. Abortus et sterilitatis procuratio.

5. Parentum verberatio. 1723: 11.

6. Proditio fraterni sanguinis. 38. 39: 1-æ; 46: 1723.

7. Larva. 46: 1723.

8. Invasio Domus alienae. 1723: 10.

9. Adulterium. 105: 1-æ.

10. Subtrusio falsae prolis.

11. Incestus. 11; 12: 1723.

12. Lenocinium Parentum, vel qui Parentum loco sunt.

13. Raptus. S. Steph. 2. cap. 25.

14. Seductio personae minorennis ad profugium.

15. Stuprum simplex cum seductione.

16. Vis pudicitiae illata. Ulad. 7: 47: 1522: 36.

B. Contra vitam et corporis incolumitatem Civium.

1. Homicidium, quo spectat Assassinium et Veneficium. 1563: 38. seqq.

2. Vulneratio, mutilatio, cruentatio, verberatio. 1723: 10. &c.

3. Plagium, 1567: 30.

4. Violenta detentio hominis liberi. 1723: 10. &c.

5. Duellum.

C. Contra honorem aliorum: Dehonestatio. 57: 1723.

D. Contra Facultates aliorum.

1. Rapina. 1-æ. 15.

2. Furtum. 1-æ. 15. &c.

3. Falsum. 1723: 11, 12.

4. Denegatio Depositi, 16; 1622.

5. Stellionatus.

6. Detentio alienarum Litterarum. 43: 1659.

7. Violatio Missilium. 59: 1723.

8. Motio Termini, seu violatio metarum. 23: 1802.

9. Damnorum illatio, ex. gr. per pecora, 42: 1729. per decorticationem Sylvarum, 33: 3-æ. &c.

Obs. Violentias omnis generis huc non computamus, quia patrantur animo jura sua seu vera seu opinata vindicandi, adeoque

inter Delicta, quae in indebite arrogata potestate judiciali consistunt, locum sortiuntur.

CAPUT III.

DE DIVERSIS GENERIBUS POENARUM.

§ 42. *Necessitas generalium Principiorum circa diversitatem poenarum.*

Cum Leges nostrae longe plurimis Delictis pœnam arbitrariam dictent, id est, determinationem pœnae arbitrio Judicis committant, immo in illis etiam Delictis, pro quibus Lex pœnam specificam determinat, pœna haec communiter de maximo duntaxat Delicti gradu intelligenda sit, — quod nos pœnam ordinariam vocamus, — adeoque relate ad omnes inferiores Delicti gradus res iterum ad arbitrium Judicis redeat: hinc, quemadmodum Judex Hungarus valde liberas habet manus, Legem in applicatione ad Casus speciales mitius vel asperius explicandi, ita summe necessarium est, ut hoc, quod Judex ex Lege haurire nequit, generalibus Principiis ex Jure Criminali universali depromptis suppleat.

§ 43. *Poena quotuplex.*

Omnis pœna potest considerari tanquam amissio Juris; adeoque:

1. Amissio vitae: — pœnae capitales.
2. Amissio Immunitatis a physico dolore: — pœnae corporis afflictivae.
3. Amissio honoris: — pœnae infamantes.

4. Amiſsio Libertatis: — captivitas ſensu latiori.

5. Amiſsio fortunarum: — pœnae pecuniariae.

6. Amiſsio Jurium civilium.

§ 44. *Poenae capitales.*

Multum disputatum fuit, actuque inter philosophos diſputatur: num Civitas habeat Jus, pœnas capitales irrogandi? Principale quidem argumentum illorum, qui negativam tuentur, §pho. 29. refutavimus: non tamen est diſsimulandum, magni momenti eſſe illam etiam considerationem, quod Judici humano, qui in maxima etiam apparenti evidentia probarum a poſsibilitate errandi nequaquam exemtus est, (quod complura exempla Innocentium, apparenter ex evidentibus probis, immo propria etiam Confeſsione, et tamen innocenter condemnatorum testantur,) quod inquam, Judici humano, pœnam talem, in qua ad Casum ſubseque detegendae innocentiae nulla amplius compensatio, aut in integrum restitutio locum habere potest, irrogare, cautum eſſe videatur.

Celeberrimus Filangieri, pœnas capitales defendens, ita argumentatur: Qui alterius vitam aggreditur, is amittit ipſo facto jus vivendi, nam nec dubium est, quin is, quem aggreſſus est, illum licite occidat; si ergo aggreſſor amittit Jus vivendi, dum est debilior, absurdum eſſet statuere, quod illud non amittat, dum est fortior, id est, dum illum revera occidit, quem aggreſſus est, et tunc Jus aggreſſorem occidendi, quod ipſe

laesus amplius exercere nequit, utique in Civitatem transit.

Verum videtur vir ingeniosisimus distinctionem inter satisfactionem et pœnam, quam §pho. 28. explicuimus, non satis prae oculis habuisse, et Principii illius, per eundem in immortali Opere suo secus tam excellenter propugnati, quod nimirum scopus pœnae non sit vindicta praeteritae, sed praecautio futurae laesionis, tantisper oblitus fuisse. Si per pœnam capitalem homicidae irrogatam, homo per illum occisus reviviscceret, tunc argumentum illud Filangierianum utique plena vi probandi gauderet; tunc enim homicidae supplicium esset veri nominis satisfactio laeso praestita, ad quam laedens perfecte, etiam cum amisione vitae propriae, obligaretur. Sed mortui non resurgunt, et propterea, quod homicida capite plectatur, occisus per illum, semper manebit occisus. Ergo Civitas jam de eo tantum sollicita esse debet, ne homicida pro futuro iterum alium occidere audeat: ad id autem obtinendum vix unquam requiritur mors delinquentis, sed aliae pœnae ad illum deterrendum sufficiunt.

His omnibus mature perpensis, sequentia Principia plurimum verisimilitudinis habere videntur:

1. Capitale Supplicium ibi duntaxat est justum et licitum, ubi Civitati nullum aliud medium suppetit, laesiones a Delinquente sibi in futurum imminentes praecavendi.

2. Ubi tamen Casus talis adest, ibi Civitas, Jus capitale Supplicium irrogandi semper habet, et quidem, stricte juridice summendo, absque respectu ad qualitatem Delicti vel Juris, quod Delinquens laesit, prout enim nullus privatus tenetur ullam, etiamsi minimam laesionem impune pati, ita nec Civitas. Falluntur ergo, qui asserunt, quod pœnis capitalibus in casibus unice homicidii vel perduellionis locus dari debeat, qualitas enim Delicti in quaestione hac, quatenus est pure juridica, nihil alterat, sed unice Circumstantia illa est decisiva, quod Delinquens aliter, quam per mortem, a reiteranda laesione detineri non possit, adeoque stricte juridice summendo, non implicaret, ut in simplici etiam furto, pœna capitalis dictetur, si fur sit revera incorrigibilis.

3. Ubi tamen quaestio oritur, non quid liceat, sed quid expediat? ibi facies rei est alia, tunc enim fortasis praestat, ut Civitas parvas laesiones dissimulet, quam ut propter tales, Civem suum sibi nefors utilem ac necessarium vita privet, immo, cum teste proverbio summum jus sit summa injuria, potest Civitas etiam Cives suos ad dissimulandas minores laesiones obligare. His praemissis, ex obtutu non jam juridico, sed politico, praeferenter attendendum:

4. Ne Supplicia capitalia nimis frequentia sint, tunc enim non solum efficaciam suam amittent, et Characterem Nationis obdurabunt, sed etiam, prout jam §. 35. praenotavimus; incitamento erunt ad majora po-

tius Delicta patranda; immo exinde sequetur hoc, ut multa Delicta penitus impunita maneant prout fieri videmus in Japonia, et ubicunque omnia furta morte plectuntur; ibi enim ipse damnificatus, si sensum humanitatis non exuit; mavult furtum subticere, quam illud deferendo mortem hominis causare.

5. Si omnis pœnae et etiam capitalis unicus legalis scopus esse debet, ut Delinquens a continuando Delicto detineatur, suapte patet, quod omnia Supplicia cum Cruciatibus, seu ita dicta Exasperatione conjuncta, sint ad categoriam inutilis crudelitatis referenda, quae Delinquenti tantum commiserationem spectatorum conciliat, Judici vero conflat Odium, ad scopum pœnae autem conferre nihil potest; hic enim per solam et simplicem Delinquentis mortem jam pleniſſime satisfit. Hinc etiam quamvis in Legibus nostris nonnulla talium Exasperationum vestigia occurrant, Deputatio tamen Regnicolaris anni 1791. illas nullibi adoptavit, nullum tam grave Delictum dari posse existimans, quod per mortem sufficienter non expiaretur.

§. 45. Poenae corporis afflictivae.

Optandum sane foret, ut Judex nunquam ad baculos, scuticas, vel virgas recurrere deberet; sed tamen etiam cavendum, ne per immoderatum speciosae liberalitatis et humanitatis studium ad devia, et ad muliebris sensibilitatis teneritudinem deducamur. Illi, qui continuo contra baculos et scuticas declamant, non satis perpendunt, quod plus probent qnam deberent: optimum profecto esset,

si per rationalem educationis normam omnes homines essent ita boni, ut nullis plane pœnis indigerent, sed posteaquam pœnis indigent, debent ipsis tales dari, quae effectum producant, adeoque culturae gradui commensuratae sunt. Ex hoc visus puncto considerata indoles inferiorum praeprimis Classium populi Doctrina homine digna destituti in Hungaria vix adhuc admitteret, ut pœnae corporis afflictivae penitus abrogentur; regulae tamen sequentes sunt observandae:

1. Mutilationes membrorum, quales in Legibus medii aevi passim invenimus, locum simpliciter non habeant: nam crudele et irrationabile est, delinquenti, qui se fors adhuc emendabit, signum perpetuae infamiae nunquam abolendum inurere, vel plane eundem ad perficiendos labores, quaerendamque subsistentiam ineptum reddere; et alioquin pœnae tales ipsum Judicem dehonestant, eo quod et ipse ad genus creaturarum pertineat, quibuscum tam turpiter agere liceat.

2. „Ubicunque Educatio, vel indoles De„linquentis sperare sinit, quod pœna Carce„rum aut alia, ad assequendum finem suffectu„ra sit, a verberibus, servili tantum animo, „et infimo Culturae gradui convenientibus ab„stineatur.“ Hinc quemadmodum personas Nobiles in Hungaria verberibus punire non licet: ita humanitas et prudentia vel maxime suadent, exemtionem hanc etiam ad alias, ignobiles quidem, honoratiores tamen et melius educatas personas extendere.

3. Cum omnis pœna, quae non est capitalis, absque detrimento sanitatis et integritatis corporis infligenda sit, (secus excederet intentionem Judicis, ideo Benignae Normales Resolutiones prorsus conformiter ad art. 43: 1791. praescribunt, ut in casibus baculorum vel scuticarum pœnae, opinio medici super eo, num Delinquens his sufferendis par sit, requiratur, et haec in Casu etiam capitalis sententiae appellato Processui accludatur, ad casum mutandae sententiae, Foris altioribus pro Cynosura deservitura. Eadem ex ratione faeminae non baculis, sed scuticis, juvenes autem virgis pulsari solent.

§. 46. *Poenae infamantes.*

Pœna infamiae stricte dicta, quam leges nostrae nonnullis Delictis per expressum dictant, quid sit, ex Jure civili notum est. Aliae pœnae infamantes, uti impositio ad cippum vel pegma, stigmatizatio &c. in Hungaria non inusitatae, cuilibet notae sunt. Stigmatis inustio praeter casum legis 2-æ. 16. per recens Intimatum ddo. 1-æ Aug. 1815. ad solos extraneos e Monarchia relegandos restringitur. Ex Jure Criminali universali vero, sequentia Principia hic notasse proderit:

1. Ut Infamia Juris sit efficax debet non contrariari sed convenire Opinioni publicae. Non omnis, quem Lex declarat pro honesto, est etiam opinione publica talis: ita si Princeps, Carnifici, Ordinis alicujus Crucem vel Stellam conferret, non Carnifex per id nobilitaretur, sed potius illos, qui ante-

hac Crucem habebant, puderet deinceps talem portare. Ita etiam e converso, non omnis est opinione publica infamis, quem Lex pro tali declarat; sic tentatum est, Duella sub pœna infamiae prohibere, sed irrito conatu, quia metus Infamiae, quam opinio publica, timidis dictat, fortior fuit, quam metus infamiae, quam lex minabatur. Ergo pœna infamiae talibus tantum Delictis convenit, quae jam per naturam suam infamant.

2. Pœnae infamantes non debent nimis frequenter dictari, secus amittunt effectum, nam ab assuetis non fit passio.

3. Non debent dictari infimae sortis hominibus, qui nullo sensu honoris moventur.

4. Pœnae infamantes admittunt multos gradus, qui dependent ab accidentibus, cum quibus publicantur.

§ 47. Amissio Libertatis.

Si relate ad quodvis Delictum illa pœna est accomodatissima, quae Delinquentem illo bono privat, quod per Delictum assequi cupiebat, ex. gr. in furto pœna pecuniaria, tunc certe pœnae cum amissione libertatis conjunctae, plurimis et fors omnibus Delictis accomodatae sunt, nam omne Delictum proficiscitur ex immoderato studio libertatis, legis frœnum tolerare nolentis, ergo amissio libertatis est motivum contrarium, quod Delinquentem a repetendo Delicto efficacissime deterrebit. His accedit, quod pœnae hae admittant plurimas graduationes, extensivas et intensivas, quod conferant ad emendationem Delinquentis &c. Huc autem pertinent:

1. Simplex Arestum in domo propria, vel publica, cum vel sine compedibus, cum jejunio vel citra illud &c.

2. Labores publici, ex. gr. in domibus correctoriis vel filatoriis, pœna ex eo valde accomoda, quod aliorum etiam oculis exposita, exemplum deterrens praebeat, quod item Delinquens talis, per ipsam pœnam Statui publico utile servitium praestet. Quia tamen labores publici, diversi sunt generis, et infinitas admittunt graduationes, Judex in Sententia deberet illos semper accurate definire, et nihil arbitrio Inspectoris relinquere.

3. Relegatio ex loco habitationis est pœna accomoda pro illis, qui ex. gr. aliorum vitae insidias struxerunt, alienas uxores et filias seduxerunt, &c.

4. Deportatio ad locum remotum, ex. gr. ad Americam vel Siberiam, quam Russi, Angli et Galli utiliter practicant, quae tamen in Hungaria locum vix habere potest, quamvis scopum exempli non attingat, cum Delinquens e conspectu Concivium auferatur, praebet tamen Reo media semet emendandi, dum ad locum, quo Delicto inhaerens infamia illum non comitatur, defertur, praeterea Statui publico conservat utilem Civem, et est accomoda omnibus illis Delictis, quae non praesupponunt penitus destructum Characterem.

5. Confinatio, dum Delinquenti certi limites constituuntur, quos egredi non potest, in multis casibus utiliter adhiberi potest.

§ 48. Amissio fortunarum in toto vel in parte.

Multi simpliciter improbant Mulctas pecuniarias, tum ideo, quod non tam pœnae sint, quam quaedam quasi Taxae Delictorum, quas qui persolvat, impune possit delinquere, tum quod pauperem multo gravius feriant, quam divitem; tum denique, quod crescente vel decrescente Opulentia publica, evadant improportionatae. Sed Objectiones hae ibi duntaxat fundatae sunt, ubi lex summam defigit, uti apud nos pœnam violentiae vel dehonestationis, quae utique nullum potentiorem deterret. Si tamen Lex non quantitatem numericam mulctae, sed potius quotalitatem facultatum Delinquentis determinaret, ita ut Delinquens 3.am. vel quartam Bonorum suorum partem amittere deberet, objectio cessaret. Apud nos Mulctae pecuniariae frequenter in criminalibus etiam Delictis, praesertim culposis tantum, pœnae loco dictantur, et cum Lex defixionem quantitatis plerumque arbitrio Judicis deferat, Judex sequentes regulas observandas habet:

1. Mulctae pecuniariae illis Delictis praeferenter dictentur, quae ex lucri cupiditate promanant. Ideo pœna dupli, quam Lex nostra infideli Tutori dictat, vel amissio Capitalis in pravitate usuraria, est pœna valde accomoda.

2. Mulcta approportionanda est facultatibus Delinquentis, secus per divitem ridebitur, pauperem vero mediis vitae privabit.

3. Si facultates Delinquentis exiguae sint, et vix necessitatibus ejus sufficiant, non mulcta, sed alia pœna irrogetur. Ideo apud nos mulctae Colonis irrogandae, praeter casum legis vi B. Urbarii sunt prohibitae.

4. Si tamen necessarium sit, pauperem ad mulctam condemnare, detur ei sufficiens Terminus pro depuratione.

5. Confiscatio Bonorum, quae Jure nostro in Crimine laesae Majestatis et Nota Infidelitatis, cum salutari tamen moderatione, obtinet, multis displicet ideo, quod etiam in innocentes Successores redundet, sed hoc in omni alia etiam pœna obtinet, ergo ex hoc principio nulla prorsus pœna locum habere deberet, quod est absurdum.

§ 49. *Amissio Jurium Civilium.*

Amissio Jurium civilium ex toto vel in parte, pro diversitate Regiminis formae est pœna major vel minor. Ita Exilium in Statu democratico, vel in Aristocratia relate ad Patricios aequivalet paene supplicio capitali; sub Despotismo vero nihil ferme significat. In reliquo amissio Juris cujuspiam civilis optime dictatur illis, qui Jure hoc abusi sunt, ex. gr. Incapacitas ad munia publica illis, qui munus aliquod illicito modo ambiverunt.

§ 50. *Mensura gravitatis poenarum.*

Diximus, quod omnis pœna sit amissio Juris; Jurium autem valor relativus est, et a diversis Circumstantiis dependet; hinc una eademque pœna, pro uno Individuo potest

esse valde gravis, et pro alio fere nulla. Ideo in determinanda gravitate pœnarum attendendum est:

1. Ad Regiminis formam; ita ex. gr. Exilium et pœna infamiae in Democratia potest contra omnes Civium Classes adhiberi, in Aristocratia et Monarchia fere contra solos Nobiles.

2. Ad Characterem Nationalem, et Individui puniendi: avarus melius regitur pœnis pecuniariis, superbus pœnis honoris.

3. Ad gradum culturae Delinquentis.

4. Ad cunctas denique ejusdem Correlationes. Ideo non implicat, quin potius Justitiae magnopere conforme est, ut duo Delinquentes unius ejusdemque Delicti, et in eodem gradu rei, diversis tamen pœnis puniantur: unus nimirum mitiori pœna aeque perfecte a reiterando Delicto absterrebitur, ad quod omittendum alter pro Individualitate sua graviori pœna indigebit. Hujus illos meminisse oporteret, qui pro omni Delicto Leges quam specialissimas et determinatissimas desiderant, et prudenti Judicis arbitrio nihil penitus concredere volunt.

CAPUT IV.

DE PRAECIPUIS DELICTIS CRIMINALIBUS SPECIATIM.

§ 51. *I. Crimen laesae Majestatis.*

Crimen laesae Majestatis, seu Perduellio, Jure hungarico est Delictum, quo quis laesionem personalem legitimi Regis, aut

Regni perturbationem intendit, vel eandem dum potest, non impedit.

Qualiter Crimen laesae Majestatis a Nota Infidelitatis differat, quaestio, prout valde momentosa, ita non undique expedita est. Verbőczy tit. 14: 1.æ. pro Crimine laesae Majestatis hoc tantum habet, si quis impias manus in personam Principis injecerit, vel capiti ejus gladio aut veneno insidiatus fuerit, sive murum aut domum, in qua Princeps ipse exstiterit, violenter invaserit. E contra art. 7: 1715. quae in hac materia Lex principalis est, sub Crimine hoc casus quosvis, tum in S. Stephani Lib. 2. cap. 51. tum alibi passim in Legibus patriis denotatos complectitur. Expressio autem: in Regis salutem aut dignitatem quolibet modo conspirare, quae S. Steph. 2: 51. et Colom. 2: 6. occurrit, ita late patens est, ut exinde, quid inter Crimen laesae Majestatis et Notam Infidelitatis intersit, intelligi haud possit, vel ideo, quod non solum 14: 1.æ. sed vel ipse art. 9: 1723. evidenter semet erigentes et opponentes contra Statum publicum S. Coronae Regiaequae Majestatis, et Regni, nec non Inductores et Conductores hominum ad spoliandum et disturbandum internum Regni statum, non ad Crimen laesae Majestatis, sed ad Notam Infidelitatis referat.

Resultatum combinationis Legum, ad Principia Juris Criminalis universalis applicatarum sequens esse videtur:

1. Omnis vera laesio personae Regis illata, juxta 14: 1-æ. Crimen laesae Majestatis constituit.

2. Reliqui autem actus contra Regem vel publicum Regni statum directi, tunc solum pro Crimine laesae Majestatis haberi possunt, si patrentur scopo eo, ut Jus summi Imperii Regi legitimo eripiatur; secus ad Notam Infidelitatis juxta 9: 1723. referendi. Sed:

3. Ubicunque scopus praeinsinuatus adest, ibi incurritur Crimen laesae Majestatis etiam scriptis vel verbis seditionem concitantibus, licet effectus non sequatur, immo et per solam conniventiam et intermissam detectionem. S. Steph. 2: 51; Colom. 2: 6.

§ 52. *Poena Criminis laesae Majestatis.*

Pœna atrocis hujus Criminis est amissio capitis saepe cum exasperatione, et praeterea amissio cunctorum bonorum quoad ratam Delinquentis, salva portione filiorum vel fratrum indivisorum et innocentium, salva praeterea dote, allatura, succesione Conjugis in coacquisitis, parapherno, jure capillari, quartalitio filiarum, et jure aereque alieno: est enim hoc Delictum per 56: 1791. ad eandem cum Nota Infidelitatis pœnam reductum, adeoque dispositio art. 9: 1715. eatenus cessat. Bona amissa irredemptibiliter cedunt Fisco Regio, et quidem etiam quoad Cives 1647: 87. non tamen quoad Colonos, quia his etiam ex Nota Dominus terrestris succedet. 1715: 62. una tertia cedit Denuncianti.

§ 53. *Observationes speciales.*

Proceſſus ob Crimen laesae Majestatis multa habet peculiaria.

1. Actor non est Fiscus Magistratualis, sed Regius. 1741: 26.

2. Judex, nunc est Tabula Regia, 1791: 56. non amplius Rex, vel delegatum Judicium, ut olim. 7: 1715.

3. Incattus ante Citationem capi, et bona ejus in sequestrum ſummi poſſunt, sed dein ex vinculis citari debet. 7: 1715; 5: 1723.

4. Fiscus tempore exhibitae Actionis, delatorem Praesidi indicare debet. 26: 1741. nec ullus anonymarum delationum uſus fieri potest, 5: 1805. ut delator, si dolosus comperiatur, in pœna talionis, 7: 1715. vel alia convenienti eodem Proceſſu puniri valeat.

5. An delator pro Teste in hoc Delicto, velut excepto, adhiberi poſsit, Judicis arbitrio relinquitur, 7: 1715. praeterea id, quod Juris Criminalis universalis Doctores improbant, ut nimirum in hoc Crimine etiam tales pro Testibus adhibeantur, qui secus inhabiles ſunt, ut ſervi et consanguinei, in Hungaria usu obtinere, vulgaris opinio est.

6. Convictio Incatti rumpit filum ſucceſsionis inter Incattum ipſum, et filios post convictionem natos ab una, et fratres ejus, aut filios ante convictionem natos partibus ab altera, idque etiam tunc, si convictus bona ſubseque per Gratiam recuperet. 1-æ 16, 20, 49, 56; 7, 9: 1715.

§ 54. II. Nota Infidelitatis.

Notae Infidelitatis Jure moderno juxta art. 9: 1723. rei sunt:

1. Evidenter semet erigentes et opponentes contra Statum publicum Sacrae Coronae, Regiae Majestatis et Regni, juxta 14: 1.æ.

2. Judices, Locaque credibilia et fidedignitates, authenticis Sigillis ex officio fungentes et taliter falsas Litteras conficientes sensu 16: 2.æ.

3. Cusores falsarum monetarum vel ejusmodi monetis scienter ac publice, in quantitate circiter 50. fl. utentes. (Juxta Decisionem Curialem etiam confectores falsarum Schaedarum bancalium.)

4. Inductores et conductores quorumcunque hominum ad spoliandum et disturbandum internum Regni statum.

5. Publici haeretici, damnatae scilicet haeresi, (non vero Religioni in Regno receptae vel toleratae,) adhaerentes.

6. Malitiosi amissores et traditores Castrorum finitimorum Regni, et Partium eidem adnexarum. (Traditio Castri privati, inimico Domini per Servitorem facta, mortis pœnam solum post se trahit, 1723: 11. § 9. adeoque Notam non involvit.)

7. Administratores armorum, et tempore belli etiam victualium, Turcis et aliis Infidelibus, Regni scilicet hujus aemulis et hostibus.

8. Turbatores, detentores, ac spoliatores illorum, qui sectae eorum damnatae

renunciantes, ex Turcia, ad istud Regnum et Partes eidem adnexas confugiunt moraturi.

9. Tricesimatores et alii, in diminutionem Regiorum Proventuum in extrahendo auro et argento conflato, cum forensibus societatem ineuntes, ejusmodique aurum et argentum e Regno clam efferentes.

§ 55. *Poena et Observationes.*

Pœna Notae Infidelitatis nostris temporibus est eadem, quae Criminis laesae Majestatis; quaenam olim inter utramque fuerit differentia, ex 9: 1715. et 9: 1723. jam supra observavimus.

Actor in regula est Fiscus Regius, 37: 1681. potest tamen Incattus in pœna Notae Infidelitatis convinci in Processu ad dandam Contradictionis rationem per Donatarium moto, qui Bona ejus titulo Notae impetravit.

Judex est Tabula Regia, 56: 1791. non amplius Diaeta, ut olim. Ulad. 2: 3.

In Nota Infidelitatis Citatio ante Capturam requiritur, secus ac in Crimine laesae Majestatis. 7: 1715; 5: 1723.

De delatoribus idem valet, quod § 53. diximus.

§ 56. *III. Blasphemia.*

Blasphemia incongrue habetur pro Crimine laesae Majestatis divinae, nam Majestas divina ita sublimis est, ut per Creaturam laedi nec possit, nec eget vindice humano; Blasphemia itaque in tantum duntaxat pro Delicto, foro humano vindicando

haberi potest, in quantum involvit laesionem illorum, qui Deum colunt, et fubruit senſum religiosum, qui est fulcrum moralitatis, adeoque et securitatis publicae.

Blasphemus autem est, qui in Deum, aut Sanctos, quatenus ſunt objectum Cultus religiosi, injuriosa, obscaena, vel turpia verba profert. Pœna lege constituta est, quod Reus prima vice virgis caedatur; secunda vice baculis pulsetur, tertia autem vice, instar dolosi homicidae gladio plectatur. 42: 1563; 42: 1659; 110: 1723. Qui alterum audiens blasphemare, ſubticet, et non accusat, solvit tres marcas. 42: 1563.

§ 57. IV. Homicidium.

Post Crimina contra ſummum Imperantem, graviſsima ſunt illa, quae contra vitam Civium committuntur, tum ideo, quod vita sit omnium bonorum physicorum pretioſiſsimum, tum, quod semel amiſsa, restitui amplius nequeat. Quisquis autem alterius hominis corpus ita laedit, ut exinde mors ejusdem ſubsequatur, homicida senſu latiſsimo audit. Est autem homicidium:

I. Voluntarium, quod fit scopo, illi, qui occiditur, malum aliquod inferendi; hocque rurſus vel:

A. Licitum, ex. gr. occisio malefici per carnificem juſſu competentis Judicis procurata, occisio hostis in bello, homicidium cum moderamine inculpatae tutelae patratum, occisio uxoris in adulterio deprehensae.

B. Illicitum ſeu dolosum, et quidem:

1. Directe dolosum, quod fit animo praecise occidendi.

2. Indirecte dolosum, quod fit solummodo animo verberandi, vulnerandi &c. non vero occidendi. Hoc fit, vel:

a.) Instrumento et modo per se mortifero, e. gr. gladio, vel sclopo, et tunc:

aa.) Vulnus est absolute et per se lethale,

bb.) Vulnus est per accidens enatum, vel lethale redditum. — Vel:

b.) Instrumento et modo tali, quo alias mors non causatur, e. gr. tenui baculo.

II. Casuale, quod fit sine intentione illum laedendi, qui occisus est. Estque:

A. Culposum, dum quis:

1. Rei illicitae operam dans, sed sine dolo, occidit alium.

2. In re licita versans, non adhibet debitam circumspectionem.

B. Pure casuale, dum versans in re licita, et circumspectionem debitam adhibens, fortuito occidit alium.

Obs. Ad qualitatem vulneris determinandam, Viso-Reperto opus est: expedit autem, ut hoc per duos medicos conficiatur, unum nimirum illum, qui occisum curavit, et praeterea alium extraneum; ne, si alteruter solus adhiberetur, ille, errorem in medendo nefors commissum palliare cupiens, vulnus lethale fuisse testetur, hic vero invidia ductus, illum erroris commissi insimulet, et vulnus, quod reapse lethale fuit, pro accidentali declaret.

§ 58. *Poena Homicidii.*

Pœna homicidii liciti, aut pure casualis, est nulla.

Homicida directe dolosus persolvit homagium mortuum occisi, expensas item curae medicae, et capite plectitur; uti et is, qui instrumento et modo mortifero, vulnus absolute lethale, dolo indirecto inflixit. 1-æ 15; 2-æ 44; Math. 6: 51; 1563: 38. 40.

Qui dolo indirecto, medioque instrumenti mortiferi vulnus per accidens lethale infligit; vel instrumento ordinarie mortem non causante, dolo indirecto alium necat; vel homicidii casualis, culposi tamen, reus est: praeter persolutionem homagii, 3-æ 5. pœna arbitraria majori vel minori, non tamen morte puniendus est. Math. 6: 51; Ulad. 1: 82. § fin.

Homagium in casu homicidii, seu dolosi, seu culposi deponendum, juxta 11: 1723. cedit proximioribus occisi, praeferenter viduae, si non adsit, prolibus, et sic reliquis successoribus. Potest quidem convictus quoad homagium cum injuriatis accordare, Math. 6: 51; Ulad. 1: 82. sed pœna arbitraria, vel mors, praeter homagium dictata, per talem accordam non tollitur.

Homicida condemnatus, potest Novo Judicio uti; sed ita, ut interea in vinculis detineatur, et Mandatum Novi cum Gratia, gratiam vitae non contineat. 41: 1563.

Pœna mortis saepe cum exasperatione dictatur, ex. gr. Paricidis, Matricidis, Uxoricidis &c. 11: 1723.

Si homicidii accusatus innocentiam suam comprobaverit, Math. 3: 28. accusatorem in emenda capitis, art. vero 43: 1588. in pœna indebitae actionis convinci disponit.

§ 59. *De Jure inculpatae tutelae.*

Homicidium cum moderamine inculpatae tutelae patratum, impune, et licitum esse diximus: est autem Jus inculpatae tutelae jus, semet ipsum, vel alios, contra injustum aggressorem, mediis necessariis et aggressioni, proportionatis, in continenti defendendi. Principia, quae Verböczy 3-tiæ. 21. 22. 23. 24. hac in materia proponit, omni attentione digna sunt, et cum Jure naturae exacte cohaerent. Juxta haec nimirum, ad id, ut Jus inculpatae Tutelae adsit, duo tantum requiruntur:

1. Ut sit defensa contra injustum aggressorem.

2. Ut occisio aggressoris pro amolienda aggressione fuerit absolute necessaria.

Caeterum, an quis semet ipsum, vel vero alium contra injustam aggressionem defendat, anve aggressor primum ictum jam effective fecerit, vel illum tantum intentet; aut cum certitudine minetur, perinde est. Et haec quidem inter omnes conveniunt; non tamen aeque extra dubium est, num aggressoris occisio tantum in defensione personae, vel vero etiam in defensione rerum et proprietatis sit licita? Ex stricto Jure verum est, quod nemo vel minimi momenti laesionem patienter ferre teneatur, adeoque aggressorem vel propter minimi valoris rem,

si aliter ab aggressione repelli nequeat, occidere possit. Jus hoc etiam in Statu civili, ibi obtinere, ubi auxilium Magistratus implorari nequit, ex. gr. contra viarum Obsessores, indubium est; an tamen quoad res immobiles, nempe contra occupatores, fundorum aeque adhiberi possit, contra quos nimirum leges, inprimis novellares 22: 1802; 13: 1807. remedium certe efficax Repositionis suppeditant, quaeritur. Titulus quidem 68: 1.æ. et 22: 3.æ. Jus via facti reoccupandi intra annum etiam cum notabili occupatoris incommodo concedit, adeoque defensam rerum latius adhuc, quam defensam personae, quae nimirum in continenti fieri debet, extendit; durum tamen esset statuere, quod propter fundum, liceat aggressorem vel occupatorem illius occidere, praesertim ideo, quia ad recipiendum fundum alia Remedia suppetunt, adeoque occisio eo ipso jam non videatur esse absolute necessaria, quod tamen in moderamine inculpatae tutelae requiritur. Id verum est, quod is, qui injustum aggressorem occidit, etiamsi moderamen inculpatae tutelae excedat, poena mortis tamen plecti non possit, verum tantum arbitraria.

§ 60. *De Homicidiis qualificatis.*

Homicidia qualificata fiunt:

I. Ratione personarum. Talia sunt:

1. Occisio parentum, fratrum, conjugis, aut proximorum consanguineorum. 11: 1723.

2. Occisio personarum publicarum, et aliarum, quae sub peculiari salvo Conductu publico stare censentur, 11: 1723. quarumve attrectatio praeter Actionem Criminalem, sensu 10: 1723. adhuc Actionem civilem ad pœnam Actus majoris potentiae post se trahit.

3. Infanticidium, quod patrat mulier, quae prolem suam aut sub ipso partu supprimit, aut jam enixam occidit. Pœna ordinaria est mors cum exasperatione, 11: 1723. cum tamen delictum hoc plerumque per personas infelices extra matrimonium impraegnatas, et partim sensu pudoris, partim etiam per physicas puerperium concomitantes circumstantias sui haud plene compotes committi consveverit, cum praeterea ipsa etiam Civitas mortem hominis neonati, et donec succrescat, millenis adhuc periculis expositi, eadem lance, qua vitam civis jam adulti, librare non possit, vix unquam datur casus, ubi circumstantiae pœnam mitigantes non adessent. — Huc etiam referri potest:

4. Abortus procuratio, inprimis dum fœtus jam vivens propellitur; hujus delicti etiam is se reum reddit, qui medicinas ad id facientes vendit, virum aut faeminam sterilem reddit &c. pœna est arbitraria, nisi ad Infanticidium reduci possit, tunc enim est mors. Porro huc pertinet:

5. Expositio Infantum, dum nimirum quis prolem suam, ut se ab illa liberet, a se amovet, et periculo exponit, vel in locum a consvetudine humana remotum, scopoque illo, ut infans pereat, et tunc factum

tale, verum homicidium redolet; vel vero in locum talem, ubi homines commeare solent, scopo illo, ut aliquis infantem reperiat, et educet, et tunc Exponens mitius plectitur.

Homicidia porro qualificata sunt:

II. Ratione modi, quo patrantur, et hic praeprimis notari merentur:

1. Homicidia cum insigni crudelitate, cum Cruciatibus &c. patrata, utpote in supremo gradu deliberata, et malitiosa.

2. Latrocinium, cujus reus est, qui spolii et lucri causa ubivis homines occidit, quod si specialiter in viis publicis faciat, obsessor viarum appellatur. Pœna est mors cum exasperatione, nempe Rota. 1-æ. 15; 13: 1625. Quoad Obsessores viarum in nonnullis Comitatibus obtinet Jus statarium, cum modificationibus, de quibus suo loco dicemus.

3. Assassinium, cujus se reum facit, qui alium conducit ad aliquem occidendum, prout et is, qui se ad id conduci sinit, seu sicarius: uterque homicidii deliberati reus est.

4. Veneficium seu intoxicatio, dum quis alium veneno occidit, aut in morbum praecipitat, ad id scienter et malitiose juvat, venenum scienter ad id dat, emit, vendit, aut praeparat &c. Veneficium ceteris paribus gravius puniri debet, quam aliud homicidium, quia facilius potest occultari. (§ 35.) Apothecarii venenum incaute vendentes, arbitrariae pœnae subjacent.

§ 61. De Vulneratione et Cruentatione.

Hac occasione opportunum est agere de vulneratione, cruentatione, mutilatione, aut gravi verberatione, quae nimirum ab ipso homicidio saepe tantum in effectu differt, et, si extra casum inculpatae tutelae fiat, publica actione, et pœna arbitraria ex 12: 1723. vindicatur. Nobilis verberatus vel vulneratus proprio Actoratu ad pœnam Actus majoris potentiae procedere potest, ignobilis vero verberatus in levioribus casibus cum assistentia Fisci Magistratualis ad pœnam violentiae agere permittitur. Si Dominus terrestris Jurisdictionatum suum sine causa verberet, reducitur res ad saevitiem, et publica quidem, non tamen criminali Actione vindicatur. Ceterum in casibus verberum, vulnerum, ipsorumque homicidiorum, reus etiam in bonificatione Curae medicae, et compensatione dolorum corporis, prudenti Judicis arbitrio limitanda, convinci solet.

Peculiariter grave, et semper criminale Delictum est Parentum verberatio, vulneratio, vel gravis injuria illis illata, cujus pœna sensu 11: 1723. § 8. est arbitraria, ita quidem, ut exigente Delicti gravitate, etiam pœna mortis esse possit.

§ 62. De Duellis.

Vix ullum Delictum Legislatores recentiores ad majorem crisim collocavit, quam Duella, celeberrimis antiquitatis populis ignota, et in gothicis praejudiciis modernarum Europae Nationum radicata. Prout enim parte ab una Duellum laesi cum laedente, juxta

ſanae philosophiae principia consideratum, est medium ad ſcopum, reparandum nempe laesi honorem, penitus ineptum, id quod unus omnium eloquentiſsime Rousseau demonstravit; prout praeterea similis vindicta privata, ſecuritati publicae, et pacto conſociationis civilis est contraria: ita tamen altera ex parte verum est, quod multae possint cogitari laesiones, ad quas vindicandas Actio in foro humano non datur, et quas nihilominus laesus impune tolerare non tenetur; verum est, quod praejudicia in puncto honoris per totam modernam Europam vigentia, non obstante omni Legislatorum ſeveritate, (quia praejudicia per leges tolli nequeunt,) illum infamia quadam in opinione publica adſpergant, qui vel laesionem impune tolerat, vel ad duellum provocatus non prodit; verum itaque, quod omnis duellans videatur eſſe in situ tali, ubi malum minus, nempe pœnam, praeferre debet malo majori, nempe infamiae publicae; verum denique, quod et is, qui alium laedendo ad provocationem ſui ansam dat, et is, qui alium ad duellum provocat, ingratum duelli eventum, quadantenus sibi ipsi tribuendum habeat, adeoque neuter pro deliberato homicida haberi poſsit.

Leges nostrae hoc in paſſu nihil diſponunt, praxis tenet fere pœnam arbitrariam (si nempe res ad officiosam Judicis notitiam perveniat, ſecus praestat diſsimulare,) pro dirigendo tamen Judicis arbitrio ſequentia principia notaſſe juvabit:

1. Ubi duellum absque tragico consectario mansit, puniatur tantum laedens, id est, qui provocationi ansam dedit, vel ideo, quia laesionem per deprecationem reparare, taliterque Duellum praecavere debuisset; non vero laesus, id est, provocans: si nimirum id quod notandum, veri nominis laesio praecesit; secus enim puniri debet provocans non provocatus.

2. Ubi mors vel vulnus ex Duello consequitur, laedens, id est, qui provocationi ansam dedit, puniatur ut dolosus, laesus vero ut culposus; supposito hic iterum eo, quod vera laesio praecesserit, secus enim provocans debet haberi pro doloso, et provocatus pro culposo.

3. Qui sub ipso duello leges honoris usu receptas violat, puniatur qua sicarius, seu laesus, seu laedens fuerit.

§ 63. *De Autochiria.*

Suicidium multorum opinione non constituit Delictum foro humano vindicandum, quia qui omnibus juribus civilibus sponte renunciat, is potest, juridice loquendo, etiam ab omnibus obligationibus civilibus se liberare, et respectu Civitatis nihil aliud esse videtur, quam emigrans. Cum tamen vix ullus homo cogitari possit, per cujus mortem alicui concivi ejusdem damnum vel injuria non inferretur, suicidium jure puniri posse censemus; nec obstat, quod qui spernit vitam, multo magis spernat pœnas cadaveri suo irrogandas, quia hoc non est verum, et praejudicia mentium humanarum

tam varia sunt, ut eum, quem mors non terret, repraesentatio tamen dedecoris cadaveri suo inferendi saepe a suicidio detinere possit. Nec illud valet objicere, quod per pœnam cadaveri irrogatam innocentes cognati puniantur, quia hoc in omni pœna ita se habet, adeoque stante hoc respectu, nullus delinquens puniri deberet, qui cognatos habet.

Nostra praxis denegat autochiris honestam sepulturam, sed tantum illis, qui ex malitia et desperatione semet occiderunt, et non ex melancholia vel morbo animi, ita quidem, ut in dubio favorabilior pars praesummatur. Suicidium vero attentatum solum, et non consummatum, ex. gr. vulnerationem suimet ipsius, pœna arbitraria castigari posse, dubium non est.

§ 64. *V. Plagium.*

Post vitam pretiosissimum hominis bonum est libertas: qui hanc eripit, qui homines, seu viros, seu faeminas, ac etiam infantes, intercipit, et abducit, vel vendit, Plagiarius vocatur, et pœna arbitraria, saepe etiam pœna mortis plectitur, praecipue si Judaeus intercipiat, vel emat prolem Christianam. 1567: 30.

§ 65. *VI. Delicta Carnis.*

Delicta, quae in illegitimo usu sexualium facultatum consistunt, vel simplicia sunt, vel qualificata. Ad priora pertinet:

1. Stuprum simplex, id est, extramatrimonialis, non tamen vi extortus concubitus

cum virgine necdum deflorata. Delictum hoc, nisi cum scandalosa seductione et corruptione conjunctum sit, Judex rectius dissimulat, praeferenter, si Rei illud per subsequens matrimonium corrigant.

2. Fornicatio, seu concubitus personae solutae, id est nec vinculo matrimonii, nec voto solenni ligatae, cum alia persona soluta quidem, sed jam deflorata, ex. gr. publica meretrice, vel vidua. Pœna, si scandalum publicae detur, est arbitraria, quia pœna S. Steph. 2: 26. statuta, nostris temporibus non est applicabilis.

3. Concubinatus, seu frequentata fornicatio cum eadem persona, quamvis vix absque scandalo exerceri possit, tamen plerumque dissimulatur, vel certe, dat veniam corvis, vexat censura columbas. Correctionem hujus delicti frequenter Fora Ecclesiastica sibi vindicant.

§ 66. *De Delictis Carnis qualificatis.*

Ad Delicta Carnis qualificata refertur:

1. Sodomia, seu Pæderastia, quae est vel perfecta, dum quis cum persona ejusdem sexus, vel imperfecta, dum cum persona diversi quidem sexus, sed in parte corporis ad coitum non destinata coitum attentat. Usu invaluit pœna gladii et combustio cadaveris; sed puritati morum conservandae magis conducit, si talia delicta nec ad lucem protrahantur.

2. Bestialitas, seu Coitus cum bruto animali, ex consvetudine et homo et brutum igne solet concremari.

3. Lenocinium, quod committit is, qui ex prostitutione ad libidinem propriae conjugis, filiae, vel alterius personae quaestum facit; pœna est arbitraria, justum tamen est, ut sit gravis.

4. Adulterium, quod committit persona conjungata, quae secum persona alia extranea carnaliter commiscet. Si et illa alia sit conjugata, est adulterium duplex; secus simplex. Mulier nobilis adultera capite plectitur, 1-æ. 15. 105. Maritus qualiscunque conditionis, ut et mulier ignobilis arbitrarie punitur. 12: 1723. Maritus nobilis quoad primum, quod ipsi innotuit, uxoris adulterium etiam proprio Actoratu ad pœnam mortis contra illam agere, 1-æ. 105. sed etiam pœnam condonare potest. Hinc si pars laesa, adulterium expresse vel tacite condonet, Judex ex officio procedere non debet, nisi sit valde scandalosum.

5. Incestus, qui committitur per illum, qui sine competentis superioritatis dispensatione matrimonium scienter init cum tali persona, quae ipsi in gradu prohibito consanguinea vel affinis est; eo magis, si se extra matrimonium cum tali commiscat. 106. 107. 108: 1-æ. Incestuosi in linea recta, vel in primo et secundo gradu collateralis, prout et novercarum et privignarum stupratores, morte, et quidem nonnunquam exasperata; 11: 1723. in tertio gradu trium, in quarto duorum annorum carcere; in gradu prohibito affinitatis vero, praeter praedictum, arbitraria pœna puniuntur. 12 1723.

Pœna tamen pro incestuosis in tertio et quarto gradu statuta, ad Evangelicos post 26: 1791. extendi nequit, quia hi gradus quoad illos sunt liciti.

6. Polygamiam incurrit persona conjugata, quae vivente alio conjuge, quin ab eodem legitime divortiata sit, matrimonium cum tertia quapiam persona init, adeoque sub praetextu et specie fidei publicae adulterium exercet. Pœna est arbitraria, merito tamen gravior quam adulterii. 36: 1599; 6: 1625; 40: 1630. Persona, quae de morte conjugis sui fidedigne informata, matrimonium cum tertio init, puniri non potest.

7. Raptus, id est, abductio violenta vel clandestina faeminae vel puellae libidinis exercendae, vel matrimonii ineundi causa, habet has fere graduationes:

a.) Raptus violentus faeminae conjugatae.

b.) Raptus violentus puellae vel viduae.

c.) Raptus haud violentus, vel simplex profugium cum faemina conjugata.

d.) Raptus violentus meretricis.

e.) Raptus vel fuga puellae vel viduae cum consensu utriusque partis, sed sine intentione matrimonium ineundi.

f.) Raptus vel fuga puellae vel viduae, cum consensu utriusque partis, et cum intentione matrimonium ineundi.

Pœna est arbitraria, 12: 1723. quia pœna S. Stephani 2: 25. statuta est jam extrausum; ceterum pro eo, an raptus violentus,

vel ſpontaneus fuerit, vel utraque pars, vel una tantum punienda est.

8. Vis pudicitiae illata, per eum, qui faeminam ſeu conjugatam, ſeu minus, contra voluntatem ſuam, vi et potentia mediante, ad concubitum cogit. Pœna ordinaria est capitalis, S. Lad. 1: 32; Ulad. 7: 47; 1522: 36. haec tamen multoties mitigatur, ita ex. gr. delictum levius est, si publicae meretrici vis inferatur; e contra valde grave, si inferatur puellae impuberi.

§ 67. *VII. Crimen Incendii.*

Qui ignem aedificiis, ſegetibus, ſylvis &c. ſupponit, easque comburendo alios damnificat, immo et is, qui ſerio minari audet, ſe incendium excitaturum, pro Incendiario habetur. 3-æ. 23. Incendiarius publicus, id est, qui manifeste, et non occulte ſuccendit, vivus concrematur; privatus vero et clancularius, vel eadem, vel pro circumstantiis mitiori pœna plectitur. 1723: 11. § 13. Qui non dolo, ſed tantum culpa incendium causat, non ordinariae, ſed tantum arbitrariae pœnae ſubjacet.

§ 68. *VIII. Furtum et Rapina*

Qui rem alienam clam ſurripit, furtum; qui illam palam rapit, rapinam committit; qui homines in domibus, vel alibi, rebus ſuis violenter ſpoliat, non tamen occidit, praedo est; quod si vias publicas obsidendo faciat, obseſſor viarum; si vero etiam homines occidat, ut ſupra vidimus, latro appellatur. Species furti est adhuc ſacrilegium,

dum res ſacra de loco non ſacro, res non ſacra de loco ſacro, vel res ſacra de loco ſacro ſuffertur. S. Lad. 1: 14. Num pœna ejusdem gravior eſſe debeat, quam simplicis furti, multi dubitant; praxis tamen ita tenet.

Distingui etiam debent furta violenta, id est, per vim, effractionem &c. patrata, a non violentis; priora majorem merentur pœnam. — Denique art. 12: 1807. etiam fraudulentos fallimentarios, eorumque adjutores, ut fures tractari jubet.

§ 69. *Poena horum Delictorum.*

Furti ordinaria pœna est laqueus, S. Ladisl. 2: 12; 1-æ. 15. Praedocinii gladius, 1-æ. 15; 49: 1548; 13: 1625. nisi Jure statario vindicetur, tunc enim aeque est laqueus. Quantitas et qualitas rei ablatae, non ſemper pœnam alterat, nam is, qui ex. gr. pauperi unicum, quem habet, bovem furatur, certe magis reus est, quam qui diviti mille boves habenti furatur decem. E converso reum alleviat id, si facto illius res furto ablata ad proprietarium redivit, per id enim manifestavit voluntatem errorem corrigendi, et in futurum non amplius committendi, adeoque ad illum deterrendum eo ipſo minor pœna est neceſſaria.

§ 70. *De Fautoratu.*

Qui furum conatus promovet, res furto ablatas occultat, aut ſcienter emit et vendit, fraudulento fallimentario in occultandis

rebus adjutorium praestat, 12: 1807. is Fautoratus se reum facit, 49: 1548; 17: 1659. et ex usu eadem pœna, qua ipsi fures, plectitur.

Obs. Furtum et Rapina, ab actu majoris et minoris potentiae differt in eo, quod hi posteriores patrentur praetextu juris, scopo nimirum Jura sua seu vera, seu opinata vindicandi, consistantque in exercitio Judicatus, quem sibi privatus arrogat, furtum vero et rapina patrantur absque ullo Juris titulo vel praetextu, cum positiva scientia, quod res sit aliena.

§ 71. *IX. Crimen Falsi.*

Crimen Falsi proprie dictum committitur:

1. Falsas Litteras, falsave Sigilla conficiendo, et pro veris venditando.

2. Verum Sigillum scienter falsis Litteris imprimendo.

3. Falsis Litteris scienter utendo, iis inhaerendo, easque defendendo.

4. Genuinas Litteras corrumpendo, mutando, falsificando, interpolando.

§ 72. *Poena Falsariatus.*

Pœnam Delicti hujus, quod utique respectu securitatis publicae valde grave est, quia administrationem justitiae intervertit, et mediis pro securitate Civium adinventis, in perniciem eorum abutitur, Leges nostrae accurate determinarunt, et Actoratum in plerisque casibus privato etiam laeso, ita ta-

men, né etiam Fiscus excludatur, detulerunt. Signanter:

1. Falsam Relationem faciens Capitularis, in amissione beneficii, stigmatis inussione, et perpetuis carceribus; Capitulum vero vel Conventus in amissione sigilli convincitur. 16: 2-æ; 43: 1492.

2. Homo Regius falsam Relationem faciens, 16: 2 æ; 43: 1492. et Judices Regni Ordinarii, authenticis Sigillis abutentes, sunt notorii. 9: 1723.

3. Falsarius vitae alterius insidians, punitur pœna capitali. 11: 1723.

4. Vitae et bonis insidians aeque vitam amittit, bona restituit, et damna ac expensas ex portione propria refundit. 11: 1723.

5. Bonis solum insidians, pœnam infamiae, et damnorum ac Expensarum refusionem incurrit. 12: 1723.

6. In casibus levioribus, pœna arbitraria habet locum. 12: 1723.

§ 73. Crimen Falsi latiori sensu.

Crimen falsi sensu latiori complectitur etiam Proditionem fraterni sanguinis; et Larvam, quae tamen ad Jus civile pertinent; nec non Stellionatum, id est, fraudem non facile detegendam, in alterius damnificationem directam, ex. gr. loco pignoris oblati, aliud minoris valoris subtrudendo, personam alienam simulando, falsos Testes subornando, &c. Pœna est arbitraria, gravior tamen, quam simplicis furti, quia Difficilius probari, et facilius occultari potest. Perjurium magis ad Jus privatum pertinet, quam-

vis etiam Actoratu Fisci Magistratualis arbitrarie puniri posit. De falsis Delatoribus dictum est alibi.

CAPUT V.

DE IMPUNITATE DELICTORUM.

§ 74. De Aggratiatione.

Disputatum est inter scriptores, qui scientiam legislationis tractarunt, num expediat Imperanti tribuere jus condemnatum Delinquentem aggratiandi? Montesquieu Jus aggratiandi in Monarchica Regiminis forma, ideo putat esse necessarium, quia ibi frequenter Leges honoris aliquid exigunt, quod Leges civiles prohibent, et viceversa; contra id obvertunt alii, quod Legislator sufferre debeat hanc contradictionem, sed nunquam debeat alicui, nequidem summo Imperanti, admittere, ut Delinquenti pœnam promeritam relaxare possit; per id enim id futurum ajunt, ut Despotismo pandantur fores et portae, et Cives non amplius intenti sint Legibus obsequi, sed favores Imperantis ejusque Consiliariorum captare.

Quidquid ejus sit, sufficit, quod positivae Leges, Sigis. 2: 5; 48: 1715. Gratiarum dispensationem, per 38: 1655. privatis Jure gladii gaudentibus ademptam, in Hungaria absque ulla restrictione Regiae Majestati deferant, et quod tamen malae consequentiae, quas theoretici illi argumenta-

tores ex Jure hoc praemetuunt, teste experientia exinde non promanent. Secundum, ipsa etiam philosophica principia, casus dari possunt, ubi Delinquens, licet juxta omnes Juris formas condemnatus, aggratiari meretur; tales sunt:

1. Si Delinquens, qui delictum in aestu passionis patravit, sit homo alias integrae vitae, et meritis inclytus; ita, ut momentanea suspensio legis non possit videri incitamentum ad delinquendum, sed potius praemium virtutis.

2. Si integra Communitas, ex numerosis Civibus constans, Delicto sit implicita, cujus rigorosa punitio saluti Civitatis noceret.

3. Si aggratiatio sit efficacius medium ad Delicta praecavenda, quam ipsa pœna, prout saepe accidit in seditionibus, &c.

Obs. Differt ab aggratiatione Abolitio, qua ante latam adhuc Sententiam Actio contra Delinquentem erecta suffertur, ita ut Processus cesset. In Hungaria Majestas Regia Jus abolitionis exercet medio Excelsae Cancellariae R. H. A. per Mandata Inhibitoria, Suspensoria, Cassatoria, Relaxatoria, &c. quorum tamen omnium usus in Criminalibus, idque merito, admodum rarus est.

§ 75. De Asylis.

Asylorum institutio, uti § 22. praenotavimus, cadit in tempora barbarici, ubi ad refrœnandam vindictam privatam valebat. Posteaquam igitur vis administrationis publicae magis invaluisset, asyla debuissent cessare. Interim Jus Canonicum illa diutius

ſustentavit, immo et extendit ad Caemeteria, Parochias, Xenodochia, &c. Videtur autem Idea, praecise ſacra loca, uti templa, Jure aſyli donandi, inde profluxiſſe, quod ſummum Numen pro infelicium protectore habeatur, nemo autem magis infelix sit, quam malefactor; alia ex parte fors majori jure dici potest, quod templa non per perſecutionem malefactorum, ſed potius per eorum protectionem profanentur.

In Hungaria, elaboratione casuum asyli per 113: 1723. et 27: 1765. Consilio Locumtenentiali commiſſa, Jus Asyli per Intimatum dd. 5. Dec. 1776. ad ſola templa, aedesque ſacras, in quibus ſacramenta administrantur, aut eucharistia aſſervatur, restrictum, et praeterea multa, immo fere omnia capitalia Delicta ab eodem excepta ſunt. Et cum ſensu ejusdem constitutionis Clericus Delinquentem ad Ecclesiam fugientem, requirenti Magistratui indiscriminatim et in omni casu extradare teneatur, ac nonnisi post extradationem Jus aſyli in favorem illius allegari poſsit, materia haec in Jure moderno nullius fere usus est.

§ 76. *De venia per laesum data.*

Diximus § 2. quod discrimen inter Delicta privata et publica in eo consistat, quod in illis Transactio inter laedentem et laesum locum habeat, in his non item. Inde jam ſequitur, quod in Delictis publicis, venia per laesum data Actionem tollere, et pœnam relaxare non poſsit, cum alioquin pœna publica, propter laesionem toti Reipu-

blicae, mediate vel immediate illatam, infligatur, de qua privatus transigere nequit.

§ 77. De detectione Complicum.

Quaeri ſolet, an propterea, quia Delinquens complices ſuos ſponte detexit, pœna eidem remitti debeat? Quamvis praxis detectionem complicum pro circumstantia alleviante habeat, Lex tamen, quae impunitatem detegentis palam proclamaret, non alias, quam noxias habere poſſet ſequelas; nam proditio nunquam potest, et debet pro merito haberi, immo derogat dignitati legis, ut ipsum Delinquentem in auxilium ſuum invocet, et tali ratione ſemper is, qui peſsimus est, impunis maneret, minus mali vero luerent, adeoque talis Lex eſſet incitamentum ad delinquendum, et homines in ſummo gradu depravaret, quia jam ante patratum delictum, quivis delinquens certus eſſe poſſet, quod ſocios ſuos immolando, ſemet ſalvare poſsit.

§ 78. De Praescriptione.

Tametsi verum sit, quod per quantumvis longam annorum ſeriem post patratum Delictum evolutam; factum tamen infectum fieri, et Reatus delinquentis ſufferri nequeat: Praxis tamen Curiae Regiae etiam in Criminalibus Praeſcriptionem admittit, idque merito, partim ideo, quia post plures annos valde difficile, immo ſaepe impoſsibile potest eſſe ipsi etiam innocenti, probas innocentiae ſuae conquirere, et falsam accusationem refellere, partim etiam, quia

is, qui post patratum Delictum, multorum annorum vitam honestam et probam egit, sufficienter jam testatus est, se a reiterando Delicto abstinere velle, adeoque ad id nulla peramplius pœna qua motivo indigere. Tali ergo ratione, Lex, quae in pœnalibus praescriptionem admittit, non solum non praebet incitamentum ad delinquendum, sed potius Delinquenti ad vitam deinceps honeste agendam motivum suppeditat, dum eidem sub hac conditione spem porrigit, patrati Delicti veniam obtinendi.

PARS II.

DE PROCEDURA CRIMINALI.

CAPUT I.

DE ACCUSATIONE ET INVESTIGATIONE.

§ 79. De Actoratu publico, et privato in Criminalibus.

Leges antiquorum Populorum a recentioris Europae institutis, in eo multum differunt, quod illae Actoratum in Criminalibus, seu Jus, Delinquentes coram Jure persequendi, cuivis Civi, (demtis specialiter exceptis,) detulerint, hae vero pro scopo hoc, cuivis Judicio Criminali peculiarem Officialem publicum, — apud nos Fiscum Magistratualem, — adjunxerint.

Quaenam e duabus methodis, alteri praeferri mereatur, recentioribus temporibus multum disceptatum est. Aliqui, quorum agmen ducit Montesquieu, laudibus extollunt institutionem Accusatoris publici, putantes, jus Delinquentes accusandi, cumprimis in Monarchica Regiminis forma, privatis deferri non posse, quia Delatorum audaciam foveret; quocirca ad exemplum Romae sub Caesaribus provocant. Contra alii, inter quos Filangierium, velut principem nominasse sufficiat, obvertunt: Actoratum privatis delatum periculosum fieri non posse, dummodo

falsi Delatores, et Praevaricatores, (id est, illi, qui seu ex inita cum Reo transactione, seu ex alio sinistro scopo, ab instituta accusatione recedunt,) ad exemplum Romanorum sub temporibus Reipublicae, severis pœnis coërceantur; quod vero periculum Despotismi attinet, Officialem publicum esse Instrumentum Imperantis, adeoque apud illum majus adhuc, quam apud privatum, periculum subversari, ne auctoritate sua abutatur; demum in nostris institutionibus, ubi accusationes publicae privatis interdictae sunt, admitti tamen debere Delationes clanculariias, publicis longe periculosiores.

Nobis in hac materia, sequentia Principia plurimum verisimilitudinis habere videntur: Si ad obtinendum id, ut in Statu publico libertas floreat, tres ita dictas potestates; legislativam, executivam et judicialem, ita separatas esse oportet, ne duae ex his in eadem persona, seu physica, seu morali concentratae esse possint: tunc, relate ad Crimina, executivae potestati incumbet, invigilare, ne Delicta publica impunita maneant. Non potest itaque privatis, obligatio persequendi malefactores concredi, posset enim multoties evenire, ut delinquens nullum accusatorem inveniat. Ideo debet executiva potestas habere accusatores publicos, qui Delinquentes coram Judiciis persequantur. Accusatoribus his, velut praecise executivae potestatis instrumentis, incumberet probas contra delinquentes conquirere, et Actoratum contra eosdem imbuere. Ne vero

per infundatas accusationes innocentes Cives vexare posint, legislativa potestas deberet requisita, et circumstantias determinare, quibus praehabitis iis Actionem erigere liceat; vel vero ipsa executiva potestas deberet sibi reservare jus, in quovis obvio casu decidendi, num Actio publica erigenda sit, vel minus, id quod nos appellamus determinare Actionem Fiscalem.

§ 80. *Quid in Hungaria hoc in passu obtinet?*

Instituta Regni Hungariae ad Principia haec proxime accedunt, ab iis tamen deflectunt in eo:

1. Quod conquisitionem probarum contra delinquentem, manifeste, ex analogia quoque Causarum civilium, Accusatori publico qua Actori incumbentem, non huic, sed ipsi Judicio deferant, ita ut:

2. Fiscus Magistratualis non prius ad scenam prodeat, quam ubi, praeparatis jam omnibus probis, Actio erigenda est.

3. Ne porro Actionem contra quemvis obvium erigendo, Fiscus Innocentes divexare posit, requiritur, ut praevie Actio Fiscalis determinetur, id est, erigenda Fisco demandetur: id quod tamen apud nos non fit per potestatem executivam, sed plerumque per ipsum procedens Judicium; excep o Crimine laesae Majestatis et Nota Infidelitatis, ubi Actionem non Tabula Regia, sed Majestas auditis Dicasteriis determinat.

Ita apud nos functiones potestatis executivae et judicialis confusae sunt: videndum

ergo nunc, quid praecedere debeat, ut Actio contra Delinquentem erigi posit.

§ 81. *De Denunciatione et Investigatione.*

Ad evitandam omnem ambiguitatem, ab accusatione, sub qua plerique id intelligunt, quod nos Actoratum in Criminalibus vocamus, distinguimus Denunciationem, et tunc verum est, quod duplici modo deferantur Delicta, vel simul etiam Delinquentes, ad Judicium, nempe:

1. Per Denunciationem, dum nimirum privatus quispiam Judici insinuat, Delictum commissum esse; et

2. Per Investigationem, dum id Judici aliunde innotescit, et sic Judex in modum et auctorem ejus indagat. Talis investigatio etiam post denunciationem sequi debet, nisi Denuncians plenas probas jam paratas suppeditet. In aliis Europae Provinciis Obligatio, delicta, eorumque auctores detegendi, non Judiciis, sed Policiae incumbit, quia tamen talem in Hungaria non habemus, ideo Judex, utprimum ipsi Delictum, immo vel suspicio delicti innotescit, in ejus realitatem et auctorem investigare tenetur, id quod, auctore Delicti adhuc incerto existente, dupliciter facere potest:

a.) Contra certam personam, quae nimirum vel ex denunciatione, vel ex indiciis suspicione gravatur.

b.) Generaliter, 5o: 1548. absque declarata intentione, determinatae cujuspiam personae reatum resciendi, id quod inprimis ibi locum habet, ubi de persona nobili agitur.

§ 82. *Accessoria Investigationis.*

In Delictis facti permanentis, (id est, quae vestigia in mundo physico relinquunt, uti homicidium, quibus opponuntur delicta facti transeuntis, uti blasphemia verbalis,) diligenter investigandum est corpus delicti, id est, Objectum illud, circa quod Delictum patratum est, quodve vestigium ejusdem exhibet. Tale in homicidio est cadaver occisi, vel instrumentum mortiferum; in infanticidio vel abortu, corpus ipsius delinquentis matris; in furto violento effractae ferae, et sic porro. Ad debite investigandum corpus delicti requiritur saepe Oculata artis peritorum, ex. gr. Oculata Medici, quae Visum Repertum dicitur, quaeve, qualiter concinnanda sit, in Medicina forensi docetur. Si nesciatur, an et ubi corpus delicti existat, investiganti Judici domum Delinquentis, immo et aliorum, pervestigare integrum est, attamen in domibus Nobilium determinatio Jurisdictionis praecedere debet. Testium vero exauditionem, principalem Investigationis partem constituere, sponte intelligitur; qui, si sub aliena Jurisdictione degant, locum habent Compassuales, penes quas, Judex requisitus, illos juxta puncta per procedentem Jurisdictionem communicata, examinare tenetur.

§ 83. *De Actione Fiscali.*

Terminata Investigatione, et prodeuntibus ex illa indiciis Inculpatum in tantum gravantibus, ut per illum dilui debeant, determinatur Fiscalis Actio, nisi Delictum adeo

exiguum sit, ut summarie puniri possit, quod tamen nonnisi relate ad ignobilem Incattum obtinet. Id vero dolendum, quod nulla Lex determinet, quae et quanta debeant adesse Indicia ad id, ut erigendae Actioni Fiscali fundamentum praebere possint? unde persaepe gravia in innocentes dimanant incommoda, dum nobili quidem Incatto, etiamsi se in libertate defendat, per determinatam tamen Actionem Fiscalem, macula inuritur, ignobilis vero usque decisionem causae, carcerum squallore maceratur, per neminem, etiamsi subseque absolvatur, compensando.

CAPUT II.

DE CITATIONE ET CAPTURA.

§ 84. *Regulae circa Citationem et Capturam.*

Determinata Actione Fiscali, Reus, nisi jam prius captus sit, dupliciter in figuram Judicii sistitur, nimirum vel per Citationem, vel per Capturam; circa haec duo sequentes regulae tenendae sunt:

1. Nobilis, nisi legitime citatus, et convictus, in regula capi non potest, 9: 1-æ; 5: 1723.

2. Excipitur tamen Crimen laesae Majestatis, ubi Nobilis, etiam possessionatus, prius capitur, et demum ex vinculis citatur, 7: 1715.

3. Capi potest Nobilis criminaliter delinquens per quemcunque in flagranti 1-æ: 9. aut in continua persecutione, ut etiam Miles, vel Insurgens fugitivus.

4. Nobiles, praeter domicilium vix aliqua bona immobilia habentes, (licet mobilia multa habeant,) de quorum delicto evidenter et sufficienter constat, etiam ante Inquisitionem per competentes Comitatuum Magistratus capi possunt. 14: 1687.

5. Alii vero ejusdem generis, et vagabundi, ac malefactoribus semet associantes, de quorum tamen delicto aperte et evidenter non constat, nonnisi praemissa Inquisitione Comitatui reportata, et comperta rei veritate, penes determinationem Comitatus, per competentem Magistratum capi possunt, et postea ex vinculis citari debent. 38: 1655.

6 Persona ignobilis etiam erga fundatam suspicionem criminalis Delicti capitur, et nisi ex subsequa Investigatione innocentia ejus statim prodeat, usque finem Processus in vinculis detinetur. Attamen et Lex naturalis, et complures positivae, ut Colom. 1: 55; 1548: 41; 1630: 40. capturam non temere faciendam commendant.

7. Ii, qui adhuc sub Lite stant, ubicunque id fieri potest, in distinctis et non iisdem carceribus, in quibus condemnati, asserventur, tum ideo, ne illis in casum quoque absolutionis nota quaepiam infamiae immaneat, tum vero ob periculum seductionis: condemnati enim communiter, nullum am-

plius motivum habentes, cur pravitatem ſuam occultent, in ea quendam heroismum quaerunt, et amant proselytas facere; unde non raro evenit, ut qui innocens carceres intravit, ex illis qua consummatus malefactor exeat.

§ 85. *Modi a captivitate semet liberandi.*

Reo necdum condemnato, qui per legem a captivitate exemtus non est, varia tamen legitima Remedia ſuppetunt, quibus se ab eadem liberare poſsit. Talia inprimis, (praeter asyla, de quibus alias,) ſunt:

1. Salvus Conductus, id est, Mandatum a Rege vel Palatino in eo elargitum, ut Reus in libertate se defendat, nisi ſubseque aliud Delictum committat. Violatio Salvi Conductus est Actus majoris potentiae, 10: 1723. ſed ſalvus Conductus nonisi praehabita Comitatus informatione datur. 113: 1723.

2. Fidejussio, quae quamvis in Criminibus capitalibus locum non habeat, 7: 1715. in levioribus tamen Delictis ſvadente humanitate, et praxi concedente, admittitur.

§ 86. *De benevolo Examine et Confrontatione.*

Cum Reis incaptivatis vel ante, vel post Investigationem et Fiscalem Actionem ſuſcipi ſolet benevolum Examen, in quo Judex ad eliciendam veritatem omnia quidem licita et convenientia media adhibere potest, ab intricatis tamen et captiosis quaestionibus, prout et a terriculamentis aut pollici-

tationibus ſollicite cavere debet, nam dignitati Judicis derogat, condeſcendere ad mendacia, ſanctiſsimae vero ejus obligationi repugnat, innocentibus struere insidias. Quo frequentius contra regulam hanc peccatur, tanto profundius animo imprimendum est: Judicem, dum Reum examinat, si non magis, certe aequaliter intentum esse debere, ut innocentem ſalvet, quam ut reum detegat.

Benevola Examina in aliquibus Comitatibus peragi ſolent per Judlium et Juraſſorem, in aliis per Fiscalem, utrobique autem in pleno Judicio, vel coram exmiſſa Deputatione authenticari, id est, repeti debent, quod fit absque Juramento, quia tale in Criminalibus Incatto nunquam imponitur. Si plures Rei adsint, et Faſsiones illorum inter se, vel cum testibus collidant, instituitur confrontatio, de qua ſequenti capite plura. Benevolum Examen a Nobilibus desummi non ſolet, confrontatio tamen locum habere potest, ideoque in Criminalibus Incattus ſemper ad personaliter comparendum, immo in gravioribus etiam ad personaliter Juri standum citari ſolet, quae duo quomodo differant, ex Jure civili notum est.

§ 87. *Forma Actionis Fiscalis.*

Forma Fiscalis Actionis diversa est pro eo, prout Incattus vel citari debet, vel vero incaptivatus, jam Juri stat. In priori casu, concinnatur vel in forma Citatoriarum, vel Commiſsionis per Praesidem Judicii ſubſcriptae, qualis ex. gr. in Causis violentia-

libus usu venit, vel denique Libelli actionalis, qui Citatoriis accluditur: in posteriori vero casu Actio ipsi tantum Levatae subinscritur, hoc modo: Qui quidem Fiscus Actionem suam proponit sequentibus: Qualiter &c.

§ 88. *Sententia Contumaciae.*

Concesso eo, quod Citati absentatio a Judicio, seu neglecta comparitio, vilipensionem auctoritatis judiciariae, et hoc respectu delictum redoleat, absurdum tamen esset, contumacem, qui tantum contumaciae pœnam meretur, ita considerare, acsi illius Delicti pœnam mereretur, ob quod citatus fuerat; absurdum id esset tanto magis ideo, quod naevi cujusvis, etiam optimae Legislationis criminalis, facile innocentem quoque ad id inducere possint, ut consultius esse credat fugam arripere, quam semet incerto Litis eventui committere. Id autem longe esset absurdissimum, profugum pro tali declarare, quem occidere non solum licitum, sed plane prœmio dignum sit.

Legislatio Hungarica haec et similia nunquam adoptavit; apud nos enim Sententia contumaciae in Causa criminali nunquam pœnam ipsius delicti secum fert, sed tantum hoc importat, ut contumax beneficio legis, semet in libertate defendendi, quo secus nefors gavisus fuisset, excidat, et ubique comprehendi possit, quo fine etiam talium personalis descriptio via E. Consilii R. L. H. currentari solet.



§ 89. *De Defensa Incatti.*

Omni Incatto admitti debet, ut sibi Advocatum, quem vult, constituat, stallo tamen, quod subintelligitur, provisum: si vero nullum constituat, vel solvere non possit, datur illi assistentia Fisci Magistratualis. Incatto dum et quando liberum esse debet, cum assistente suo colloqui, in praesentia nihilominus personae Magistratualis; ipse autem Advocatus ad testimonium contra Clientem suum edendum nunquam stringi potest, immo etiamsi tale sponte offerret, non deberet acceptari, quia qui Clienti suo fidem fallit, fidem non meretur.

In reliquo subintelligitur, quod in Criminalibus etiam exceptiva Defensa dari possit, ex. gr. contra Judicatum, si Magistratus civicus judicare velit Nobilem; contra Actionem, si Fiscus Actionem absque determinatione erigeret; contra fidedignitatem Testium, &c. quae ex sequentibus melius adhuc intelligentur.

CAPUT III.

DE PROBIS ET INDICIIS CRIMINUM.

§ 90. *Magnum momentum hujus disquisitionis.*

Non facile in toto Jure Criminali momentosius Caput datur, quam quod de probationibus agit: hic enim tota quodammodo functio Criminalis Judicis quasi in nucleo

concentratur; a proba nimirum dependet, num Lex ad Individuum illud, de quo agitur, applicetur. Si Sententia tanquam Syllogismus consideretur, tunc in illa Lex est Major, Proba est Minor, et Enunciatum Judicis est Conclusio.

Ea est temporum nostrorum felicitas, ut regulas Juris Romani, quae in multis aliis, insignis sapientiae vestigia referentes, in hac unica materia per ipsam dementiam dictatae videbantur; — ut Ordalia medii aevi, mirabilia illa superstitionis, barbarici, et equestris cordialitatis phaenomena; — ut Conjuratores, et juramentum credulitatis, cujus theoriam, singularibus plane principiis superstructam, Verbőczy titt. 27. usque 40: 2.æ tam prolixe exponit; — ut denique Torturam, ipsis Ordaliis, quae hodie ridemus, centenis gradibus insaniorem, perniciosioremque, et tamen nonnisi per art. 42: 1791. definitive abrogatam; — ut, inquam, omnia haec, inter Antiquitates, quarum in historia duntaxat, sed non in Jure Criminali usus capi potest, referre possimus.

Quid Leges nostrae de valore Litterarum, passim; de qualitatibus Testium, signanter tit. 27: 2.æ. et 26: 1729; de Juramentis judicialibus art. 27: 1729. disponant, id omnibus, qui Juri Criminali operam dant, ex Jure Civili Hungarico jam notum esse supponi potest, applicatio vero ejus ad Casus Criminales difficilis non est.

Sed si unquam alibi, certe in hac Juris Criminalis parte, praescripta Juris positivi

pro tranquillanda Judicis conscientia non sufficiunt, et ea, quae Verbőczy titt. 15. et 16. prolog. de his rebus dicit, sufficienter demonstrant, Judicem Criminalem aliis adhuc regulis opus habere, quam quas illi Leges positivae suppeditare possunt.

Hic igitur nobis ad sacraria Juris naturae, Logicae et Anthropologiae descendendum est, exindeque Principia aeternae Justitiae, quae nunquam Legibus, sed quibus Leges accomodandae sunt, repetenda.

§ 91. *Certitudo moralis.*

Ad id, ut aliquis puniri possit, requiritur Certitudo moralis de eo, quod delictum commiserit. Omnis certitudo non est in objecto, sed in animo, nam de una eademque re, unus homo certus esse potest, alter non. Certitudo vero moralis, id est, certitudo de facto, quod quis ipse non est expertus, sed tantum e Relationibus aliorum rescivit, potest in nonnullo homine major esse, quam certitudo metaphysica: ita ex.gr. homo Matheseos ignarus, certius credit Existentiam urbis Romae, quam Theorema Pythagoricum. Perperam ergo gradus certitudinis classificantur juxta id, num sit metaphysica, physica vel moralis; et moralis certitudo ad tranquillandam Judicis conscientiam in re facti, aeque sufficiens est, prout Certitudo physica vel mathematica, in rebus aliis, quae nempe talem recipiunt.

§ 92. *Criterium legale.*

Sed sola moralis certitudo Judicis, non sufficit adhuc ad hominem in foro externo

condemnandum, secus ignorantia vel mala fides Judicis posset innocentissimum quemque condemnare, prol. 16. Debet ergo etiam adesse Criterium legale; Lex debet determinare, qualis proba ad condemnandum Incattum pro sufficienti haberi possit. In Regulis hujus Criterii legalis determinandis, juxta § 4. attendendum est, non solum, ut nullus Innocens puniatur, sed etiam, ne Delicta impunita maneant.

§ 93. *Principia generalia pro Judice.*

Ex praemissis sequentia generalia Principia pro directione Judicum in depromendo voto resultant:

1. Ubi Criterium legale et moralis Certitudo Judicis simul adsunt, ibi Incattus debet condemnari.

2. Ubi neutrum adest, debet absolvi.

3. Ubi vel Criterium legale absque certitudine morali, vel viceversa Certitudo moralis absque Criterio legali, prol. 16. adest, ibi Judex debet dicere: Non liquet; id est, Incattus debet tantisper duntaxat absolvi, ita, ne Processus transeat in rem judicatam, sed ut supervenientibus nefors aliis probis, iterum reassummi possit.

Obs. 1. Verbőczy titt. 15. prol. opinatur, quod etiam in casu tali, ubi solum Criterium legale absque morali Certitudine Judicis adest, debeat Sententia convictiva ferri; verum hoc, etiamsi in negotiis civilibus ex eminenti Dominio Reipublicae, boni Ordinis causa, quadantenus legitimari posset, in Criminalibus tamen esset valde durum,

et ipse Verbőczy fatetur, quod multi foveant contrariam opinionem, quae etiam nostris temporibus praevalet.

Obs. 2. Aliqui putant, ubi plena proba non adest, adest tamen, ut loquuntur, semiplena, eotum Incatto non quidem pœnam ordinariam, sed tamen arbitrariam infligi posse. Quae opinio, quam sit sanae rationi contraria, cuivis homini, eandem vel mediocri attentione consideranti, suapte incidit in oculos. Quamdiu nimirum ad plenam probam adhuc aliquid deest, tamdiu Delictum adhuc est incertum; propter incertum vero Delictum nullus Judex vel minimam pœnam irrogare potest: quemadmodum etiam in civili Causa, ex. gr. Pignoris, realitate pignoris semiplene probata, dimidium pignus adjudicare, esset inauditum et ridiculum.

§ 94. *Principia generalia pro Legislatore, et quidem:*

1. Circa propriam Confessionem.

Legislatoris est, Criterium legale determinare; sed et Judicis interest, principia illa Juris Criminalis universalis nosse, quibus convenienter Legislator in hoc suo munere versari debet.

Leges Romanae, Confessionem spontaneam Delinquentis non habuerunt pro plena proba Delicti, teste enim Quintiliano, ea est natura omnis confessionis, ut possit videri demens, qui de se confitetur. Admiserunt tamen confessionem delicti per tortu-

ram extorqueri, unde absurdiſsimum hoc Institutum, etiam ad Tribunalia recentiorum Europae Gentium migravit.

Abrogata Tortura, in Jure nostro circa confeſsionem propriam sequentia principia, ſanae rationi ſummopere convenientia valent:

1. Ubi plenae probae adsunt, ibi confeſsione propria opus non est, sed delinquens, etiamsi neget, condemnari potest.

2. Propria confeſsio Delinquentis, si sit seria, a mentis compote profecta, judicialis, si non revocetur ante Sententiam, si nullum adsit vestigium, quod ipse Incattus in errore versetur, vel vero ex tœdio vitae, aut alio secundo fine contra se fateatur, plenam probam facit, ad minus in Judice certitudinem moralem operari potest.

3. Supponitur tamen, quod de realitate patrati Delicti nullum sit dubium; unde, tam quoad confeſsionem, quam et quoad omnes alias probas notandum, quod in Delictis facti permanentis nulla proba attendi poſsit, nisi corpus delicti adsit; ita ex. gr. si Paulus fateretur, se e Petri ſacco 10 aureos ſuſtuliſse, Petrus vero nullos in ſacco aureos habuiſset; vel vero si quis fateretur, se incolam poſſeſsionis N. occidiſſe, in poſseſsione vero N. nullus homo periviſset, tunc confeſsio illa, vel qualiscunque proba nihil valeret.

§ 95. — 2. *Circa probationem per Testes.*

Quid circa Testes Jure nostro positivo obtineat, ex Jure civili, signanter 27: 2.æ &c. notum est; a priori ſequentes regulae poni poſſunt:

1. Omnis homo, qui non est extreme stupidus vel vesanus, qui habet nexum Idearum, cujus systema sentiendi cum systemate aliorum hominum convenit, est idoneus Testis, nisi illi ex falsiloquio emolumentum enascatur.

2. Unus Testis nunquam facit plenam probam, quia tantum ex convenientia duorum sibi haud contradicentium, enascitur rationabilis conclusio, quod verum dicant.

3. Duo Testes oculati, omnibus requisitis gaudentes, et sibi non contradicentes, faciunt plenam probam, in iis, in quibus conveniunt.

4. Ubi Delictum in verbis consistit, conformitas Testium non solum in ipsis verbis, sed etiam in tono et gestibus, cum quibus prolata sunt; concomitantibusque circumstantiis requiritur. Neque pauca verba separatim, sed totus contextus spectari debet, ne secus Judex ita argumentetur, prout Diabolum — argumentatum fuisse ferunt, qui ex Psalmo 14. ℣ 1. primas voces omittendo, exinde demonstrare voluit, quod non existat Deus.

5. Testimonium de verbis, nunquam facit probam in Delictis, quae in factis consistunt; ergo confessio Delicti per Delinquentem coram Teste facta, non est proba. Jure etiam nostro id obtinet, cum talis confessio sit extrajudicialis.

6. Testes praevie adjurari debent, praemissa admonitione de gravitate Juramenti, et pœna perjuros mansura.

7. Examen Testium, etiamsi praevie collateraliter examinatorum fieri debet in pleno

Judicio, vel coram exmissa Deputatione: Actum hunc vocamus authenticationem, quae semper est necessaria, nisi jam prima Inquisitio fuisset Magistratualis, id est, per personas ex Judicio exmissas facta.

8. Quotiescunque Incattus cum Testibus confrontari desiderat, id ipsi denegari non potest: sed et Judicium habet Jus, Incattum negantem cum Teste confrontandi.

9. Sub Confrontatione tam Incatto, quam Testi admitti debet, ut interloquatur, quantum placet, ea autem, quae dicuntur, quantum fieri potest, propriis dicentium verbis protocollanda sunt.

10. Ceteris paribus, testimonium pro Incatto, suffert Testimonium contra illum, ita ut etiam in Criminalibus, ita prout 27: 1729. Incatto probas Actoris elidente, ille absolvi debeat. Sed:

11. Testes Incattei debent fateri de facto, e quo ad Innocentiam Incatti concludi possit; simplices proinde negativae nihil valent.

12. Denuncians pro Teste haberi non potest, (apud nos per 7: 1715. unicum Crimen laesae Mejestatis est exceptum) est enim interessatus, quia ejus interest, ut Denunciatio pro vera, neve ipse pro mendace et calumniatore habeatur.

§ 96. — 3. *Circa probationem per Litteras.*

Documenta litteraria vix alio in casu plenam probam in criminalibus facere possunt, quam ubi vel ipsamet simul Corpus Delicti con-

stituunt, vel confeſsionem Delinquentis, requisitis §94. recensitis praeditam continent. In Documentis praeterea privatis, sola combinatio scripturarum, quas nimirum imitari facile est, absque concurrentia aliorum indiciorum, probam non facit. Si vero Documentum nonnisi argumenta pro facto comprobando ſuppeditet, non autem ipsum Corpus delicti, vel directam et immediatam confeſsionem ejus contineat, tunc non probam, sed tantum indicium facit.

§ 97. — 4. *Circa probationem per Indicia.*

Indiciorum nomine veniunt facta, e quibus ad realitatem et auctorem Delicti concluditur, uti ex. gr. ex veste ſanguine conspersa ad homicidium. De his notandum:

1. Unum Indicium solum non facit probam, nisi sit neceſſarium, prout ex. gr. partus est neceſſarium indicium praecedentis concubitus.

2. Si plura Indicia tantum probam unius ejusdemque Indicii faciant; si probae facti alicujus omnes tantum in uno facto ſubsistant: tunc Summa illorum uni tantum indicio aequivalet. Exemplum rem faciet clariorem. Invenitur cadaver hominis occisi in via publica; non procul abinde conspicitur homo citato cursu fugiens; alii vident eundem hominem, ſudantem et fatigatum domi ſuae advenientem; alii viciſsim edicunt, quod statim post adventum domi, beneficio postae diſceſserit: hae tres Circumstantiae, non constituunt tria indicia commiſsi per illum homicidii, ſed tantum unum; probant

enim nihil aliud, quam unam eandemque rem, quod nimirum fugerit. E converso, si prope cadaver culter hominis illius cruore conspersus, inventus fuisset, jam circumstantia haec constitueret Indicium separatum.

3. Indicia, et circumstantiae collaterales, nunquam possunt per alia Indicia, sed debent per Testes probari.

4. Indicia tunc tantum faciunt plenam probam, si plura indicia, quorum quodvis ab alio distinctam et independentem circumstantiam exhibet, concurrant ad factum probandum, quodvis autem Indicium in fassione duorum idoneorum Testium fundetur. Ex. gr. si in casu praeallato inventi cadaveris humani, sequentia indicia concurrerint, quod homo ille profugerit; quod gladius ejus cruore inspersus prope cadaver fuerit inventus; quod domum adveniens vestem cruentam habuerit; quod horologium occisi apud illum sit inventum; quod ipsa die homicidii inter illum et occisum magna rixa interceserit; quod paulo ante Litteras illi scripserit, quibus illi necem minabatur: tunc haec concurrentia indicia plenam probam faciunt.

5. Unus Testis singularis, prout et combinatio scripturarum, facit non quidem Probam, sed tamen indicium.

6. Si Denuncians absque ostensibili ratione, vel plane aere ab Incatto accepto, ab instituta denunciatione recedat, facit indicium contra Incattum.

7. Fassio complicum sola per se non solum nullam probam, sed neque indicium facit, nisi ipsa alia indicia probis fulcita contineat.

Obs. Haec omnia pertinent ad clarificandam materiam, quae in Jure nostro hactenus sub nominibus Suspicionis, Praesumtionis levis, gravis, violentae, Probae semiplenae, plus vel minus quam semiplenae &c. comprehendi solebat. In tanta multitudine casuum criminalium, nulla adhuc legislatio humana hic limites satis accuratos duxit; sed recte ideo ad ferendum Judicium convictivum, requirimus Certitudinem moralem Judicis, requirimus praeterea, ut Judex Criminalis dotibus intellectus et voluntatis sit insignis, ut sit sapiens et justus.

Oculatam Revisionem et Visum - Repertum pro separatis probationum generibus non habemus, sunt enim potius actus judiciales circa corpus delicti interventi, quod ipsum, indicium delicti constituit.

CAPUT IV.

DE JUDICIIS CRIMINALIBUS.

§ 98. *Necessitas bonae Organisationis Judiciorum Criminalium.*

Vidimus jam hactenus sufficienter, quam multum ab integritate et sapientia Judicis, in re inprimis Criminali dependeat: quo propius igitur Processus Criminales pretiosissima hominis bona, libertatem, honorem, ipsamque vitam contingunt: eo magis necessarium est, ut:

1. Quivis Judex, quoad intellectum quidem, in Jure Criminali, ejusque fontibus et subsidiis bene sit versatus, experientia praeterea, et judicio polleat; quoad voluntatem autem sit homo honestus, justus, disinteressatus, et passionibus vacuus.

2. Totum Tribunal, cujus sententia ex votis singulorum Coassidentium coalescit, ita sit organisatum, ut innocens condemnari et nocens absolvi non posit. Et hoc in passu praeferenter, si ullibi, antequam instituta Patriae nostrae lustremus, Instituta celeberrimarum antiquitatis, et modernae Europae Nationum considerare operae pretium est. Ex illis exempli causa eligemus Romanos ex his Anglos.

§ 99. *De Judiciis Criminalibus Romanorum.*

Primis Reipublicae Romanae temporibus Jurisdictio criminalis exercebatur per Consules, tardius per Comitia partim centuriata partim tributa. Denique inductae sunt quaestiones perpetuae, id est, Judicia criminalia, quorum quodlibet certam speciem delictorum judicabat. Judiciis his praesidebat Praetor, et alter Magistratualis, qui Judex quaestionis vocabatur. Assessores autem sorte deligebantur ex 450 Civibus per Praetorem Urbanum vel Peregrinum denominatis. Tam accusator, quam accusatus, poterant illos, qui sorte extrahebantur, rejicere, et in rejectorum locum semper novi sorte trahebantur tamdiu, donec numerus legalis Judicum completus fuisset, et numerus 450 denominatorum ita exhaustus, ut nullus novus ex-

trahi potuerit. Haec erat ordinaria modalitas, quae in nonnullis casibus diversimode modificabatur. Sub Imperatoribus, Jus Delicta illa judicandi, quae antehac in Comitiis judicabantur, vel eo appellabantur, Senatui delatum fuit, et hoc fuit excidium libertatis.

§ 100. *De Judiciis Criminalibus Anglorum.*

In Anglia Judex Pacis exaudit accusationem, et si videat, reale Delictum subversari, Incusatum captivat, examinat, et Investigationem incaminat. Omni trimestri in quovis Comitatu, et quavis sexta septimana in metropoli, servantur sessiones Criminales. In quavis sessione, persona Magistratualis Sherif vocata, denominat ita dictum Magnum Collegium Juratorum, quod ex pluribus quam 12 et paucioribus quam 24 hominibus constare debet. Hi investigant realitatem accusationis; si non inveniantur 12 qui eam pro reali agnoscant, captivus liber pronunciatur; si 12 vel plures eam pro fundata adinveniant, adornatur Processus, (determinatur Actio.) Praefigitur nempe Incatto Terminus, quo adveniente sub Praesidio aliquot Judicum ordinariorum, et salarisatorum, celebratur Sessio quae praeter hos Judices constat ex 12 sic dictis Minoribus Juratis, paris cum Incatto conditionis, in eodem cum illo Comitatu habitantibus, et fundum 10 librarum proventus inferentem possidentibus. Sherif denominat 48 tales Juratos, e quibus Incattus multos rejicere potest, nempe:

1. Potest omnes 48 rejicere, si Sherif sit intereſſatus, et tunc Judex pacis novos denominat.

2. Potest rejicere omnes illos, qui non ſunt paris cum illo conditionis, qui in Proceſſu aliquo criminali ſunt condemnati, qui ſunt alienigenae, inpoſſeſsionati vel intereſſati.

3. Potest peremptoriae rejicere 20 (in crimine perduellionis 35) quin debeat rationem aſsignare.

Si rejectiones hae exhauriant numerum 48. Judex mediante Decreto redintegrat numerum 12 Judicum, qui ad integritatem Judicii requiruntur. Post constitutum Judicium, in praesentia Judicum et Juratorum audiuntur Testes, et Defensa Incatti, Judex praesidens recapitulat, et explicat Legem, tum vero 12 illi Jurati ad ſeorsivum conclave praecluduntur, ubi sine cibo, potu et calefactione tamdiu simul manere debent, donec in aliqua Sententia omnes coalescant: decisio enim illorum debet eſſe unanimis. Judicant autem de quaestione duntaxat facti, id est, de eo, num Incattus factum, cujus incusatur, revera patraverit, et qualiter? Si Incattum pro innocenti declarent, ipso facto liber est, et ob idem factum nunquam amplius Jure conveniri potest; si vero declarent, illum actionale factum revera patraſſe, tunc Judices ordinarii in Judicio praesentes factum ad legem applicant, et pœnam pronunciant: a tali Sententia nulla datur Appellata, si vero Judices ordinarii videant, quod

Jurati manifeste innocentem pro reo declaraverint, possunt Processum ad Sedem Regiam, (Kings-Bench) relegare, ubi totus Processus via Novi coram Novis Juratis reassumitur. Taliter ad condemnandum Reum adminus 24 vota concurrere debent, sed unum sufficit ad illum absolvendum: quod utique pro tuenda Innocentia praeclare institutum est, illud tamen laudari non potest, quod in Decisione Juratorum inter absolutionem et condemnationem nihil intermedii locum habeat, et ita dictum Non liquet in Foris Angliae penitus ignotum sit, sed semel absolutus, ob idem factum, etiamsi qualescunque probae subseque contra illum prodirent, nunquam amplius conveniri possit: unde fit, ut saepe, realiter etiam Reus per unicum Votum absolvatur, et multi Delinquentes in perpetuum impuniti maneant.

§ 101, *Differentia Tribunalium Anglicorum a nostris.*

Dempto nunc insinuato defectu, qui tamen facile corrigi posset, fatendum est, Organisationem Judiciorum Criminalium, pulcherrimam fors Constitutionis Anglicae partem constituere, et ad conservandam populo huic personalem libertatem, de qua tantopere, idque merito, gloriatur, plurimum contuliſſe: unde institutio Tribunalis Juratorum, (Jury, Geſchwornen-Gericht,) recentiſsimis temporibus per complures Nationes, ex. gr. Gallos, insigni cum emolumento adoptata est, et profecto dolendum, quod De-

putatio Regnicolaris per 67: 1791. exmissa, in Codice Criminali, quem elaboravit, nullam fere reformandae Tribunalium Organisationis reflexionem habuerit. Tria autem praecipue sunt, in quibus Tribunalia Anglorum a nostris differunt:

1. Quod in Anglia omnis Processus Criminalis per duo distincta Fora judicetur, quorum unum de quaestione facti, aliud de quaestione juris judicat, apud nos vero utraque quaestio per eadem Individua judicetur.

2. Quod in Anglia omnis Incattus jus habeat, ex facti Judicibus tam multos respuendi, ut illi, qui remanent, per illum electi videri possint, apud nos vero Jus hoc non obtineat, et Incattus in eligendis Judicibus, si sit Colonus, plane nullam, si vero sit Nobilis vel Civis, remotam valde partem habeat.

3. Quod in Anglia in quaestione facti unanimia vota requirantur, apud nos vero sufficiat absoluta pluralitas, (uno plus, quam medietas,) immo plane calculus Minervae, (ut paribus ab utrinque votis, praesidis votum concludat,) locum habeat.

§ 102. *De Foris Criminalibus Hungariae ordinariis.*

Fora Criminalia in Hungaria sequentia sunt:

1. Tabula Regia, in Crimine laesae Majestatis et Nota Infidelitatis est Forum primae Instantiae, 56: 1791. in reliquis Forum appellatorium, et quidem ab omnibus Foris pedaneis immediate, etiam a Magistratibus Ci-

vitatum, et Sedibus Dominalibus. Causas Criminales in duplici Senatu 9: 1807. diebus Veneris revidet. A Tabula Regia Appellata pergit ad Septemviratum, sed quoad Ignobiles nonnisi tunc, si Tabula Regia Sententiam capitis tulit, 43: 1791. abinde vero via Gratiae per Cancellariam Aulicam ad ipsum Regem.

2. Sedria Comitatuum judicat Causas Criminales Nobilium, Rusticorum, quorum Dominus Jure Gladii non gaudet, et Libertinorum, qui non vivunt sub Magistratu Jure hoc proviso. Constat autem ex Praeside, qui est actualis vel surrogatus Vice-Comes, Tabulae Judiciariae Assessoribus, quorum numerus ad integritatem Judicii requisitus in diversis Comitatibus diversus est, et uno ad minus Judlium cum Juratore, Notarius referens informativum duntaxat Votum habet, Fiscus Magistratualis interesse potest, sed absque voto, nisi sit simul Assessor, sed et tunc in Causis, in quibus allegavit, deliberativo voto caret.

3. Judicia Districtualia Districtuum separatas Portas habentium, et Jure Gladii provisorum, ex. gr. Oppidorum Hajdonicalium, Sedria Provincialis XVI. Oppidorum Scepusiensium &c. Soli Jazyges et Cumani Causas Criminales non ad Tabulam Regiam, sed ad Palatinum appellant.

4. Magistratus Liberarum Regiarumque Civitatum, Oppidorum item Jure Gladii gaudentium, quorum Commembra sunt Senatores, sub Praesidio Judicis. De Notariis et

Fiscalibus idem valet, quod sub Sedriis dictum est. Indubitati Nobiles Jurisdictioni Civitatis in Criminalibus nunquam subsunt, 1647: 78. 81. vagabundi tamen et suspectae Nobilitatis homines in flagranti deprehensi per Magistratum Civicum puniri posse videntur, 15: 1649; 46: 1655; 127: 1659; 41: 1681. quamvis et hos, si contra Judicatum excipiant, et Usum Nobilitatis probent, Comitatui praestet resignare, ne secus Magistratus actum majoris potentiae incurrat.

5. Sedes Dominales Dominorum terrestrium Jure Gladii gaudentium, quarum Praeses vel est ipse Dominus, vel per ipsum requisitus, praeterea tres ad minus convocati, qui de praxi Tabulae Judiciariae Comitatus, in quo Sedes Dominalis celebratur, Assessores esse debent, denique adest Judlium cum Juraſſore absque voto, Actor et simul Notarius est Fiscus Dominalis, Fiscus Comitatensis Incattum defendit. Quod in nonnullis Comitatibus viget, ut Rei jam effective in publicis carceribus et sub Actione existentes, reclamanti Domino Jure Gladii proviso extradentur, immo et nolenti obtrudantur, id, quamvis ex art. 60: 1638. quadantenus sequi videatur, pro abusu tamen habendum est; tum quod plurimae leges, e.g. 16: 1659. persecutionem malefactorum indiscriminatim Magistratui publico deferant, tum quod in Criminalibus praeventio habeat locum, id est, Judex, qui proceduram primus incepit, eam etiam continuandi Jus habet, observato tamen eo, quod de Incapacitate Ma-

gistratuum civicorum quoad personas Nobiles dictum est.

§ 103. De Foris Criminalibus extraordinariis.

Inter haec primum locum obtinet Judicium Statarium, de quo praeter ea, quae § 10. dicta sunt, notantur sequentia: Constat Judicium ex Praeside (Vice-Comite), et quatuor Assessoribus per illum designatis. Ad competentiam ejus spectant tantum viarum obsessores, qui directe ex praedocinio vivunt, et vel in flagranti, vel in continua persecutione capti sunt, etiamsi homicidium nullum commiserunt. Tota procedura a momento illo, quo Reus Judicio sistitur, intra 24 horas inclusa etiam Executione terminari debet, si intra 24 horas terminari nequeat, Reus ad ordinariam Juris viam relegatur. Judicium deliberat absentibus omnibus auditoribus; vota debent esse absolute unanimia, ita ut vel unum votum sufficiat ad id, ut Reus ad ordinariam Juris viam relegetur. Judicium Statarium non potest aliam pœnam dictare, quam patibulum, quam si videat locum non habere, debet ad ordinariam viam relegare. Ne Judices regulas restrictivas Juris Statarii oblivisci possint, sub initium Sessionis Privilegium republicatur, post Executionem autem Acta universa debent Cancellariae Aulicae substerni.

Prout Judicium Statarium in capitali Delicto summarie procedit, ita vicissim quaedam Delicta ob levitatem suam summarie tractantur, idque vel per ordinaria Fora, id est, Sedriam vel Magistratum Civicum,

vel vero, id quod nos vocamus brevi manu punire, per Judlium, Juraſſorem, Officiales Dominales, immo ex conniventia Dominiorum etiam per Judicia ruralia. Prout tamen Nobilis nunquam, nisi ſponte velit, cadere potest ſub proceduram ſummariam, 1-æ: 9. ita quoad Ignobiles ex ſpiritu B. Urbarii hoc ſequitur, quod major pœna, quam 24 baculorum, ſummarie vix dictari poſsit.

§ 104. *De votis Judicum Criminalium.*

Magna et momentosa est quaestio, num in Judiciis Criminalibus, vota unanimia eſſe debeant, vel vero ad condemnandum Reum Vota majora, et quidem absolute, vel relative majora ſufficiant? In Anglia vidimus, in quaestione facti unanimia requiri, uti et apud nos in Judicio Statario. Alii Legislatores adoptarunt majoritatem relativam, ita ut ex. gr. determinaverint, quod ad condemnandum Reum tres quartae, vel 4/5. &c. omnium votorum adeſſe debeant. Apud nos in regula ſufficit majoritas absoluta, id est, unum votum supra medietatem, immo, si vota paria sint, etiam votum Minervae concludit.

Vir immortalis in Legislatione Austriaca famae, Sonnenfels, vel ideo aeternis laudibus celebrandus, quod ad abolitionem Torturae ſcriptis ſuis plurimum contulerit, in Libello: Ueber Stimmenmehrheit bey Kriminal-Urtheilen, id statuit, quod in quaestione facti unanimia requirantur, in quaestione juris vero majora ſufficiant; in eo tamen a Legislatione Anglicana recedit, quod in quaestio-

ne facti etiam Sententiam per Non-liquet admittat, quae in Anglia, prout § 100. vidimus, locum non fortitur. Ejus argumentatio vero talis est: Omne Judicium Criminale est persona moralis, in qua vota singulorum Judicum id ipsum sunt, quod in persona physica sunt Motiva. Quidquid ergo persona physica facere debet, dum in determinanda ejus voluntate Motiva pro et contra adsunt, id ipsum facere debet persona moralis, id est Judicium, dum in illo adest diversitas votorum. Quid autem facit persona physica? Vel casus, in quo voluntatem suam determinare debet, est talis, ut decisio differri possit; vel, ut non possit. Si decisio differri possit: tunc vel uno Motivo in contrarium praeexistente, persona physica se non determinabit, sed decisionem differet. Si decisio differi non possit: tunc persona physica determinabit se pro illa sententia, pro qua plura Motiva militant, non attentis paucioribus contrariis.

Principiis his ad Judicia criminalia applicatis, videbitur, in quaestione facti casum talem esse, ut decisio differri possit, id quod fit per Sententiam Non-liquet; in quaestione autem Juris, decisionem amplius differri non posse, cum decisa semel facti quaestione, necessario declarari debeat, num factum hoc sit licitum vel illicitum, numve et qualem pœnam mereatur? Ex his ingeniosus auctor infert, quod in quaestione facti, vel uno voto pro absolutione stante, decisio differri, id est, Sententia per Non-liquet ferri

debeat; in quaestione Juris vero majoritas sequenda sit.

Argumentationem hanc alia adhuc dilucidat, id asserens, omnem Sententiam in formam Syllogismi reductam ita sonare debere:

Ubicunque certum est, quod persona quaedam factum x. patraverit, ibi persona haec pœna y. plecti debet.

Atqui certum est, quod persona A. factum x. patraverit.

Ergo persona A. pœna y. plecti debet.

In casu autem tali, ubi pro absolutione unum votum militat, jam factum certum dici nequire, sed tantum probabile esse dicit; ergo Sententiam, non per unanimia, sed per majora vota latam, in forma Syllogismi ita sonare infert:

Ubicunque certum est, quod persona quaedam factum x. patraverit, ibi persona haec pœna y. plecti debet.

Atqui probabile est, quod persona A. factum x. patraverit.

Ergo pœna y. plecti debet.

Ubi ex difformitate Majoris a Minori, cum in Majori de certitudine sermo sit, in Minori autem huic sola probabilitas substituatur, falsitatem conclusionis suapte elucescere opinatur.

Verum videtur vir sagacissimus falsa veri specie deceptus fuisse, dum certitudinem moralem unice ex unanimibus votis resultare posse credidit. Posito enim, Judicium quodpiam ex 10 Individuis constare, et 10 haec

Individua, unanimiter in condemnationem Rei consensisse, tunc auctor reatum pro moraliter certo habebit, et non adhaerebit, condemnationem subscribere. Sed quid, si in locum 10 Individuorum, undecim in Judicio consideant, et undecimus votum det pro absolutione, cessabit ne ideo certitudo moralis ex reliquorum 10 votis enata, quam ipse Auctor, nisi undecimus adfuisset, pro sufficienti habuisset? Si in una provincia ad integritatem Judicii quinque, in alia 20 Judices requirantur, in priori quinque Reum unanimiter condemnent, in posteriori vero undecim, eritne major certitudo moralis ex illis quinque, quam ex his 11 votis? Et quare ibi per quinque vota Reus condemnari potest, hic per 19 non potest?

Haec est unica objectio, ad quam Sonnenfels nihil fundati respondere scivit; nam reapse unum idemque est, seu Lex dicat: Tribunal constet ex 6 Individuis, sed vota unanimia requirantur; seu vero dicat: Tribunal constet ex 10 Individuis, et absoluta majoritas concludat: utrobique enim 6 vota ad condemnandum Reum sufficient. Et ex his etiam apparet, quod Tribunal nequaquam sit persona moralis, pro quo illud Sonnenfels habebat, sed sit tantum Collegium plurium Individuorum, quibus Lex facultatem detulit, ut certus numerus eorum ad condemnandum Reum sufficiat.

Ergo supposito eo, quod ad officia Judicum Criminalium nonnisi Individua bene qualificata admittantur; quod item numerus

eorum non nimis parvus sit, sed etiam medietas eorum, plus uno rationabilem gradum certitudinis moralis praebere possit: etiam absolutam majoritatem votorum ad condemnandum Reum sufficere censemus, id tamen maxime foret exoptandum, ut numerus personarum ad integritatem Judicii pertinentium, inalterabiliter defigatur, prouti in Anglia ad 12 defixus est, ubi vero absoluta majoritas decidit, deberet 22 esse, si Anglos in 12 votis certitudinem statuentes, sequi velimus; numerus taliter defixus, nec major nec minor unquam esse possit, adeoque honorarius Assessor tunc solum ad votisandum admitti deberet ubi ordinarius abest: secus enim penes indeterminatum numerum Judicum fieri posset, ut Incattus, qui secus per ordinarios Judices unanimiter absolutus fuisset, per praeponderantia honorariorum vota condemnetur, vel viceversa, id quod securitati personali valde adversum est, in Sedriis tamen nostris, prout nunc organisatae sunt, facile evenire potest.

§ 105. *De publicitate Judiciorum.*

Magnum frœnum pro arbitrio Judicum est publicitas, quae in Anglia ab olim, et nunc jam etiam in Gallia obtinet, ubi Inquisitiones, Examina, defensa Incatti &c. foribus apertis, et in praesentia omnium, qui interesse volunt, Spectatorum, instituuntur, licet postea Judices facti, absentibus auditoribus, et praeclusis foribus deliberent. Neque metuendum est, ut per publicitatem

Judices a ferenda contra potentem et in gratiis Plebis stantem Reum, Sententia deterreantur, quia hoc longe magis adhuc in secretis Judiciis metui debet, et ubicunque vera civilis libertas viget, ibi vere reus, si Delicta ejus publice cum probis innotescant, potius perdit gratiam populi, quam ut illa abuti possit, Judices vero metuunt fiduciam Populi amittere, nocentem absolvendo, vel innocentem condemnando. Denique etiamsi nefors aliquando, procellosis factionum et Revolutionum temporibus, ex publicitate Judiciorum periculum quodpiam enasci posset, bona tamen, quae pacificis temporibus exinde enascuantur, multum praeponderant possibili nefors abusui, immo moralitatem et fiduciam populi augendo, ipsum hunc abusum praeveniunt.

Apud nos ad Judicia Criminalia, non quidem omnes promiscue Auditores admittuntur, immo personae, quae intersunt, communiter Juramento conservandi secreti se obstringere debent, interim tamen facilitas, qua omnes nobiles Juvenes vel mediocriter litterati, in honorarios Juratores, penes Tabulam Regiam vero etiam ignobiles in Juratos assummuntur, publicitatem quadantenus supplet, et metum judicialis Despotismi ex arcanis Judiciis facile pullulantis excludit.

CAPUT V.

DE SENTENTIA ET EXECUTIONE.

§ 106. *Sententia Criminalis quotuplex?*

Quod in Processibus Criminalibus etiam Sententiae interlocutoriae locum habere possint, ex. gr. circa Actionem, Judicatum, authenticationem Testium &c. jam supra passim annotavimus. Finalis autem Sententia triplex esse potest:

1. Condemnatoria.
2. Simpliciter absolutoria.
3. Sententia per Non-liquet, seu tantisper absolutoria.

§ 107. *Accessoria Sententiae simpliciter absolutoriae.*

Sententia absolutoria simplex, ubi nimirum innocentia Incatti directe agnoscitur, hoc habet accessorium, quod Incattus taliter absolutus, contra Delatorem, si illum dolose egisse eveniat, ad pœnam talionis, 9: 1567; 18: 1604; 7: 1715, vel arbitrariam, aut saltem emendam linguae, 72: 2 æ, si vero culpose, ad resarcitionem damnorum et expensarum agere possit. Contra delatorem, qui probam in se non assumsit, sed tantum sinistri quid se audivisse insinuavit, Actio non datur. 7: 1715. Id vero dolendum, quod, cum in Hungaria non semper Delator sciatur, pro illis indemnisandis, qui per concatenationem fatalium circumstantiarum in manus Justitiae incidunt, si subseque absolvantur, nullus fundus suppetat.

§ 108. *Accessoria Sententiae per Non-liquet latae.*

Sententia, quae Incattum tantisper solum, seu usque detegendas nefors uberiores probas absolvit, Actioni ad pœnam talionis, vel refusionem damnorum et expensarum locum non facit: in reliquo vero apud nos vix differt a simplici absolutoria, cum et in hac, Incattus, si cum tempore novae probae contra illum inveniantur, nova etiam Lite conveniri possit, adeoque Criminalis Sententia, prout stylo nostro loquimur, nunquam in rem judicatam abeat, id quod in Anglia aliter esse supra adnotavimus.

§ 109. *Accessoria Sententiae convictivae.*

Sententiae convictivae consequens est Executio, quae praeterquam quod sphaeram Sententiae excedere, adeoque durior quam Sententia esse non possit, fieri debet:

1. Quo citius, eo enim majorem in animis hominum effectum producit.

2. Tali modalitate, ut alios a Delicto quam maxime deterreat, convicto autem ipsi, quam minimum mali inferat, neque tamen minus quam Sententia praescripsit.

3. Publice et non clanculariе, idque ideo, quia omnis clanculária Executio Tyrannidi pandit fores, et magis vindictam quam justitiam sapit.

§ 110. *De Appellata.*

Circa Appellatam in Criminalibus observandum:

1. Nobilis a quavis Sententia convictiva appellare potest: e converso,

2. Ignobilis convictus in Causis pœnam capitalem vel huic aequipollentem haud inferentibus appellare nequit, 30: 1729. sed:

3. Si in Sententia capitali, aut huic aequipollenti trium annorum carceris, vel 100 baculorum aut scuticarum ad semel infligendarum pœna convincatur, Appellata ad Tabulam Regiam non solum competit, 43: 1791. sed etiam Fiscus Assistens eam ex officio interponere tenetur; abinde tamen

4. Ad Tabulam Septemviralem nonnisi in casu latae per Tabulam Regiam mortis Sententiae competit; quae si,

5. In Tabula etiam Septemvirali approbetur, res via Gratiae Suae Majestati substerni debet, nec licet Sententiam capitalem citius exequi, excepto Jure Statario.

6. Fiscus Actor, Sententiam Incatti absolutoriam in regula non appellat, potest tamen si velit, vel si Judicium ipsi imponat.

§ 111. *De via Novi intra Dominium.*

Art. 41: 1563. homicidis condemnatis viam Novi intra Dominium concedit, ita tamen, ut interea in vinculis detineantur, et Novum Judicium sine litteris Gratiae concedatur. Post art. 43: 1791. Casus talis vix amplius emergere potest.

§ 112. *Quid si post Executionem innocentia condemnati detegatur?*

Etiam Sententia convictiva, licet Executioni mancipata sit, non tamen abit in

rem judicatam, id est, si subseque innocentia condemnati prodeat, is, qui tanquam victima boni ordinis pœnam subivit, in quantum fieri potest, per Reexecutionem indemnisari, vel vero, si mortem subiit, memoria ad minus ejus a macula vindicari debet. Praeterea in tali casu Actionem etiam contra dolosum vel culposum Delatorem superesse, nemo non videt. Immo Decisio Curialis 3. pag. 182. Incatto furti insimulato, et praehabitis sufficientibus indiciis, accedenteque propria confessione ad Arestum posito, si subseque eveniat, furtum illud per alios patratum fuisse, Actionem contra ipsum Magistratum tribuit, non quidem ad infligendam illi pœnam, vel compensationem detrimenti corporis, (cum ipse Crimen confitendo, ansam dederit,) sed tamen ad restitutionem rerum, quae velut praetensive furto sublatae, ab Incatto ademptae fuerant. Scienter vero innocentem condemnantes Judices, a paritate legum §pho. 10. citatarum amissione officiorum plecti merentur.

APPENDIX.

DE PRAECAVENDIS DELICTIS.

§ 113. *An praecautio Delictorum separatam Juris Criminalis materiam constituat?*

Fuit tempus, ubi Juris Criminalis doctores, principio illo in se vero, quod praestet Delicta praevenire, quam punire, seducti, separatum in Jure Criminali caput, dicarunt explicationi mediorum, quibus Delicta praecaveri possint. Putabant autem, se opinionem suam, etiam per analogiam Juris civilis fulcire posse, quippe quod non solum regulas suppeditet, juxta quas, quaestiones jam ad forum contentiosum deductae, decidi, hominibusque justitia administrari queat, sed etiam formalitates Contractuum, Testamentorum, Plenipotentialium &c. praescribendo, Lites praecavere intentum sit.

Sed haec magis ingeniose, quam rigori logico convenienter dicta esse, facile perspiciet, qui perpenderit, certo respectu omnem Legislationem circa pracavenda Delicta versari, et ideo Juris Criminalis scriptorem, quamprimum materiam hanc vel mediocriter exhaurire cupit, non posse non ad omnes Jurisprudentiae et administrationis publicae Ramos evagari, et totum universarum Scientiarum politicarum campum emetiri. Ipsum certe Jus Criminale totum quantum quid aliud est, quam scientia, certi generis media, delicta praecavendi, nempe pœnas, proponens, cum pœnarum

scopus, uti vidimus, is sit, ut delinquens a reiterando Delicto detineatur? Sed et Jus civile Delicta praecavet, dum personas et jura privatorum secura reddit; Oeconomia nationalis, dum facit, ut hominibus bene sit, nec opus habeant delictis media vitae quaerere; Educatio, dum mores juventutis format; Religio, dum illis transscendentalia motiva a delictis abstinendi proponit; Policia, dum Delinquentes detegit, eorumque moliminibus obviat; Militia, dum illos terret et persequitur; Scientiae et Artes bellae, dum emolliunt mores, nec sinunt esse feros, &c. Illi igitur, qui Doctrinam de praecavendis Delictis tanquam partem Juris Criminalis considerant, a conceptu Juris Criminalis multum aberrant, et omnium Scientiarum systema, cujus ipsum Jus Criminale totum quantum nonnisi partem constituit, ad sphaeram ejusdem pertrahunt, taliterque primas notiones, quibus subdivisio cognitionum humanarum in plures scientias irradicatur, confundendo, ipsi Juri criminali, quod per id locupletare intendunt, non optimum sane praestant servitium.

Neque superius mentionata Analogia Juris civilis decipiamur oportet. Jus enim civile, solennitates testamentorum &c. profecto non ideo recenset, quia per illas Lites praecaventur, sed ideo, ut in Causis contentiosis Judex regulas habeat, juxta quas judicare possit: si enim praecautio Litium qua talis esset ad sphaeram Juris civilis per-

tinens, deberet illuc pertinere etiam Theologia moralis, quae docet homines, ne alienum concupiscant, et per id Lites praecavet. Ergo argumentum ab Analogia illa ductum falso supposito innititur.

Appendicem hanc nemo superfluam judicabit, qui meminerit, quasvis scientias, incrementum suum, maxime sui a reliquis cognatis scientiis sollicitae separationi in acceptis referendum habere, quod historia litteraria satis docet, adeoque illum Juri Criminali non inutile praestitisse Servitium, qui cavit, ne ex vicinarum scientiarum campis ad illud involetur.

Finis.

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
65 92 - 193 raktárszám

756175

756175